Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0001-0

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Wb. 60.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0002-6

MATRIMONIALIVM CAVSARVM TRACTATVS, METHODICO ordine ſcriptus, per D. MELCHIOREM KLING à Steynau, utriuſq; Iuris Doctorem.

Cum præfatione eiuſdem, de origine & autoritate Iuris Canonici, quo ad cognitionem & deciſionem cauſarum Matrimonialium.

EIVSDEM,
In Secundi Libri ANTIQVARVM DECRETALIVM Titulos, Commentaria.

SIONEM HABENS VITAE PRAESENTIS ET FVTVRAE. 1. Timoth. 4.

PIETAS AD OMNIA VTILIS EST, PROMIS-

SACRIFICIVM DEO COR HVMILIATVM. Ps. 50.

Cum Gratia & Priuilegio Imperiali nouo ad octennium.

FRANCOFORTI APVD HAEREDES Christiani Egenolphi, Anno M. D. LIX.

Harrimgo ſuo ſtatt Galen.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0003-1

AD LECTOREM, MAVRITIVS Helling Boruſſus.

VT caro perpetuò binos coniungeret una,
Extra hoc decretum & mixtio nulla foret,
Aeterna manſit ſancitum lege, nec iſta
Cuiquam permiſit ſoluere iura DEVS.
Ille etiam illicitæ quòd conſuetudinis ultor
Sit, pœnæ moles indicat ægra ſatis.
Totus diffuſis mundus ſubmergitur undis,
Crimina cùm ſtupri turpis inulta forent.
Sic urbes Sodomæ, ſic & cecidere Gomorrhæ,
Quinque inceſtorum regna ſuperba ducum.
Talibus admoniti exemplis, ceſſare iubemur,
Si nos per præceps cæca libido rapit.
Hac de re paſſim dicunt non pauca prophetæ,
Atq; eadem Chriſtus ſæpius ipſe docet.
Ergo ſit certum, teneatur & omnibus illud,
In proprio caſtum uiuere quemq; thoro.
Vltra nec ſenſus noſtri præcepta uagentur,
Nec uiolent puras fœmina, uirq; faces.
Sed quonam pacto debes connubia inire,
Et contracta iterum quæ ſoluiſſe potes,
Quicquid & ad lecti reuerendum pertinet uſum,
Te nonnulla etiam iura tenere decet.
Quæ uelut effuſo paſſim ſunt ordine ſcripta,
Sic te cuncta poteſt hic docuiſſe liber,
Congeſſit docta quem præſtans Klingius arte,
Eximij meritus nomen habere uiri.
Hinc poteris breuiter Doctorum exquirere mentem,
Et magna nullo meſſe labore frui.
Tu quoties lector tractabis amice libellum,
Autori toties fauſta precare. Vale.

GENEROSIS ET NOBILIBVS COMITIBVS ET DOMINIS, DOMINO Ioanni Georgio, D. Petro Ernesto Gubernatori ducatus Lucelburgensis &c. D. Ioanni Alberto, D. Ioanni Gebhardo, Canonico Ecclesiæ Coloniensis &c. D. Ioanni Hoiero, & D. Ioanni Ernesto, Comitibus à Mansfeld, & nobilibus Baronibus in Heldrungen, MELCHIOR KLING Vtriusq; Iuris Doctor, S. D.

CVM ANTE ALIQVOT ANNOS, GEnerosi Comites, in celeberrima Academia Vuittembergensi, Institutiones Imperiales priuatim enarrarem, & in explicatione tituli de nuptijs materiam causarum matrimonialiũ in ordinem Methodicum quàm breuissimè contraherem, Animaduerti ex multorum relationibus & scriptis, hunc meum laborem pro incipientibus in Iure editum multis bonis uiris placuisse, qui tamen breuitatem negocij reprehendentes, uberiorem explicationem desiderauerunt. Quorum uotis cùm aliquoties obsequi uoluissem, semper me uarietas Iudiciorum hoc tempore, ab incepto dehortata est. Tandem autem cogitans, ueritatem ipsam ubique uictricem, ampliorem tractationem suscepi, & didactico ordine Constitutiones Canonum & decisiones doctorum de nuptijs latissimè sparsas contraxi. Sum autem in hoc scripto Ius Canonicum secutus, quod hoc tempore Imperij Romani in concipiendis sententijs causarum matrimonialium usitatum ius est. Quanquam enim alia Iura quoque extent, quæ digniora & præstantiora uideantur, qualia sunt consuetudines & exempla ante & post Mosen, Item ipsa lex Mosi, Nouum testamentum, & quoq; Ius ciuile: Tamen quædam nostris temporibus omnino non conueniunt, quædam uerò non sunt sufficientia, & paucos tantùm casus comprehendunt. Cõsuetudinem ante & post Mosen sequi nullo modo possumus, permittit enim nuptias cum sorore consanguinea, quales fuerunt inter Abraham & Sara, fatetur enim Abraham Genesis xx. Saram esse sororem suam, natam ex eodem patre, quem gradum Moses Leuit. xviij. expressè prohibet, inquiens: Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, non reuelabis: sic quoq; permittit hæc consuetudo polygamiam, & talem, quòd duas sorores simul quis habere poterat, sicuti Iacob habebat simul Liam & Rachel sorores ex utroq; parente, Genesis xxix. quam conuunctionem Moses Leuiti. xviij. quoq; prohibet, dum dicit: Sororem uxoris tuæ non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius ad-

2 huc illa uiuente. Imò nec Mosen ipsum sequi possumus, Quia Deutero. xxiiij. permittit diuortium ex quacunq; causa, & dimissæ concedit secundas nuptias cum alio. Quod tamen Christus Matth. xix expressè reprehendit his uerbis: Dico autem uobis, quia quicũq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam ducit, mœchatur, &c. Et præterea lex Mosi omnes casus qui in matrimonio occurrunt non comprehendit, tantùm dat precepta de gradibus affinitatis & consanguinitatis, & quoq; prohibet tantum personas proximas in collateralibus, præter illa, pauca sunt in Mose de nu-
3 ptijs. Nouum testamentum habet tantùm duos casus, scilicet diuortium propter adulterium, ut Matthæi xix. & articulum desertionis, i. Co-
4 rinth. vij. Licet autem multi opinentur Ius Ciuile ad causas matrimonia les esse commodissimum, Tamen ne hoc quidem seruari potest. multa enim à Iure diuino prohibita permittit. Nam constat omnem coitum extra matrimonium tanquam peccatum mortale interdictum esse à Iure diuino. Sed Ius Ciuile expressè permittit Concubinatum. Dicit enim textus in l. i. §. Si quæ. ff. de Concubinis, Cuiuscunque ætatis concubinam habere posse palàm est, nisi minor annis duodecim sit &c. quòd autem ea dicatur propriè concubina, cum qua quis extra matrimonium loco uxoris consuetudinem habet, probatur per text. in l. In concubinatu. ff. de Concubinis. Et etiam de Iure Codicis concubinatus tantùm illis prohibitus est qui habent uxores, alijs non item. l. Vnica. C. de Concubinis. Sic quoque Ius Ciuile simplicem fornicationem nec prohibet, nec punit. Imò permittit quòd quis loco concubinæ, poterit habere eã, quæ quæstum corpore fecit. d. l. In concubinatu. hæc omnia sunt contraria matrimonio. Imò si maritus uxoratus, habet rem cum meretrice uel publico scorto uenali, talis coitus de Iure Ciuili non est adulterium, propter quod uxor posset petere diuortium, nisi maritus in contemptũ uxoris meretricem habeat in domo, uel in ciuitate in alia domo frequẽter cum ea sit, & sæpius admonitus abstinere nolit. §. Si quis in sua. in Authent. Vt liceat matri & Auiæ &c. colla. 8. Præterea Ius Ciuile etiam nouissimum habet multas causas diuortij, à matrimonio omnino alienas. Primò, si mulier nouit insidias quorundam contra Imperium, & marito non indicet. Secundò, si mulier quolibet modo uitæ uiri fuerit insidiata, aut alijs hoc facientibus consentiens uiro non indicauerit. Tertiò, si cum uiris extraneis nolente marito conuiuatur, aut cum eis lauatur. Quartò, si nolente uiro foris domum manserit, nisi forsan apud proprios parentes. Quintò, si Circensibus aut theatris aut amphiteatris interfuit ad spectandum, ignorante aut prohibente marito: & ex ijsdem causis poterit uxor uirum dimittere. Et sunt præterea aliæ causæ, propter quas mulier poterit petere diuortium & maritum dimittere: Prima, si maritus uxoris castitati insidiatus, alijs etiam adulterandam tenta-

uerit

uerit tradere; Altera, si uir de adulterio inscripserit uxorem, & adulterium non probauerit. Et si diuortium factum est ob causam unam ex iã enarratis, permittebat Ius ciuile parti innocẽti regressum ad secũdas nuptias, hæc habentur in ℣. Quia uero ℣. Si ergo ℣. Causas. & ℣. Si uir. in Authentic. Vt liceat matri & Auiæ &c. Sed omnes illas causas diuortij, legis Mosaicæ, & Ciuilis, Christus Matthæi xix. penitus improbat & tollit. Quia ponit tantùm unam causam diuortij, scilicet fornicationem. Et addit quòd si uxor ex alia causa quàm fornicationis fuerit dimissa, & ab alio ducta, quòd adulterium committatur. Quare Imperatores Romani ad fidem conuersi hanc diuersitatem & pugnantiam considerantes, reiecerunt totum hoc negocium ad cognitionem Episcoporum, qui adhibito consilio doctorum, sacræ scripturæ & rerum experientiam habentium, ediderunt Canones in prohibitiuis à Mose & Iure ciuili non dissentientes. In permissis autem ex sufficientibus & rationabilibus causis quædam mutata sunt. Quibus constitutionibus Imperatores se & suos subiecerunt, & usque ad hunc diem pro Iure usitato in imperio receptæ & retentæ sunt. Sed fortè obijciet aliquis, si à lege Mosi & Ciuili recedendum est ideo, quia in quibusdam nostris temporibus non conueniunt, & cum dicto Christi pugnant, Ergo eadem ratione abijciendum est Ius canonicum, cùm contra scripturam prohibeat quibusdam personis, ut clericis, & alijs propter uota coniugia, & præterea ultra causam fornicationis, quam solam & unicam Christus pro causa diuortij ponit, adijcit tres alias, ut propter infidelitatem, frigiditatem, & continuas insidias coniugum, & præterea non dirimit nuptias liberorum sine consensu parentum contractas, nec etiam concedit diuortium propter desertionem. Imò si diuortium propter adulterium factum est, innocenti nuptias, nocente uiuente, non permittit &c. quæ omnia cum sacra scriptura pugnare uidentur. Responderi potest, in matrimonio duo consideranda esse, primũm ipsum ius matrimonij per se, secundò personæ quæ contrahant uel non. Quod autem ad ipsum ius matrimonij attinet, nulla firma & solida reprehensio allegari potest, quia quo ad contrahendũ, dissoluendum, & reintegrandum, cum Iure diuino nõ pugnat. Verum quidem est, nuptias puberum sine consensu parentum iam contractas non dirimit, nec etiam concedit presenti nuptias propter desertionem, & diuortio facto propter adulterium innocenti nocente uiuente nuptię interdicuntur: sed isti articuli etiã de Iure diuino non sunt sine controuersia, ut infrà patebit. De tribus alijs causis diuortij non est opus disputare, quia causam diuortij propter infidelitatẽ docet Paulus prima ad Corin. vij. Causam frigiditatis docet Christus, quando dicit eunuchos ad nuptias aptos non esse: postremò natura docet eos cohabitare non posse nec debere, ubi continuæ insidiæ extant. Sed prohibi-

tio nuptiarum quibusdam personis imposita, ius nuptiarum commune, de contrahendo, conseruando, dissoluendo & reintegrando, in reliquis qui prohibitioni non includuntur, non mutat, sed est personale quiddam, quod citra substantiæ corruptionem adesse & abesse potest. Et tamen Iura ciuilia eodem modo prohibent Clericis coniugia, l. Eum qui probabilem. cum Authen. sequente. C. de Episcopis & Clericis. Nos iudicamus nuptias indistinctè omnibus tam clericis quàm laicis, exceptis eunuchis, permissas esse. Præter casus iam enarratos, nihil in Iure canonico allegari potest, quod cum iure diuino pugnare uideatur. Quare cùm consuetudo ante & post legem Mosi ab ipso Mose sit sublata, et Christus causas diuortij in lege Mosi & ciuili propositas sustulerit, & omnes casus quoq; in illis legibus non sint comprehensi, & autoritate Imperatorum Romanorum canones ea de re conditi sint, quibus imperatores se & suos subiecerunt, Vtiq; ab eis temerè non est recedendum. Quia si quis contrā contraxerit, & liberos procreauerit, periculum est, quòd liberi inde nati in imperio habeantur pro illegitimis, & à successionibus excludantur, & propterea secutus sum Ius canonicum. Reprehendent autem haud dubiè quidam in negotijs non exercitati, quòd in puncto frigiditatis usus sim uerbis, quibus adolescētes offendi possint: sed respondeo, hæc non tantùm adolescentibus, sed etiam pastoribus & alijs scripta esse, & quia sæpissimè illi casus occurrunt, necesse fuit rem ita tractare, ut intelligi & iudicari possint. Ego quidem de meo nihil addidi, sed ostendi sententiam ueterum theologorum & canonistarū, qui sine metu offensionis hæc & similia copiosissimè tradiderunt. Visum est autem operæprecium me facturum, si hanc breuem Methodicā tractationem sub uestri nominis auspicio in publicum emitterem, & uos mearum lucubrationum patronos deligerem. Quod eò feci libentius, quia non ignorabam, uos erga quosuis disciplinarum custodes, & ornatores, exemplum optimorum principum imitando, singularem liberalitatem exercere, id quod satis abundè in uerbi diuini ministris, & iuuentutis informatoribus fouendis, ostenditis. Et ne aliundè uestræ munificentiæ documēta petam, ipsemet multis nominibus, beneficia in me collata, expertus sum, & eadem perpetuò celebrare non desinam. Vtinam omnibus gubernatoribus hæc res tantopere cordi esset: tunc enim & studia in maiori precio haberentur, & longè plures uigilantioribus animis in ea intenti essent. Pergite igitur generosi Comites, domini clementissimi, in eam rem totis uiribus incumbere, & quæ ad Ecclesiæ, & Reipub. incolumitatem pertinēt, sedulò curare, ut multorum laudatissimos conatus uestra liberalitate excitetis, & æternam laudem apud posteritatem mereamini. Bene, & fœliciter ualete.

INDEX

INDEX RERVM ET

uerborum in hoc Tractatu explicatorum. a, priorem, b, alteram paginæ faciem notat.

A.

Absentium contractus 1 a. 3 b
Adulterij probatio 39 a
Adulterium 9 a. 11 b. 39 a
Adulterium & contractus simul 12 a
Adulterium quando non præstet causam diuortio 39 a b
Adulterium sine dolo non committitur 17 a
Affinitas 21 b
Affinitas etiã ex illicito coitu ibi.
Affinitas impediens matrimonium 23 b. 24 a
Affinitas superueniens matrimonio consummato 10 b
Affinitatis tria genera 23 a
Affinium nomina 24 a
Agnatio 19 a
Annuli subarratio 2 a. 30 b
Arræ datio 2 a. 8 b. 30 b
Arræ redditio 2 b
Ascendentes cum descendentibus cõtrahere nõ possunt 19 b
Ascriptitius 6 a

B.

Banna 31 a
Benedictio nuptiarum ibid.
Bigamia licita 4 b 44 a.

C.

Canonistarum & Theologorũ disceptatio de Consensu parentum in nuptijs 33 b. 34 a b
de Desertoribus 41 b
de Diuortio 43 b
Castratus 17 b
Cognatio 18 b. 19 a
Cognatio legalis 26 b
Cognatio spiritualis 11 a. 26 b
Collaterales 19 b
Concubinatus 8 b
Conditio pro non adiecta habetur ibid. a
Conditio seruilis quomodo sciri potest 5 b
Conditiones in nuptijs appositæ 31 b. 32 a b. 33 a
Confessioni in proprio facto nõ creditur 13 b. 15 b. 16 a
Coniugale debitum soluendũ 26 b
Coniuges etiã sponsæ dicũtur 4 a
Coniugium ibid.
Coniugium initiatum ibi.
Coniugium quid faciat 3 b. 4 a
Coniugium cohabitatio 26 b
Coniunctio contra naturam 9 a
Coniunx an teneatur expectare coniugem absentem 41 b
Connubium 4 a
Consanguinitas 18 b
Consanguinitatis effectus 19 a
Consanguinitatis nomina 20 a b
Consensus coniugum facit 3 b. 4 a
Consensus contrahentium 35 a
Consensus inter ignotos esse nõ potest 1 b
Consensus parentum in nuptijs an sit necessarius 33 b
Consensus requiritur ad sponsalia 2 a
Consortium 4 a
Contractus cum altero in uita prioris 11 b
Contractus inter absentes 1 a. 3 b
Contractus per nuncium 1 b
Contubernium 4 a
Crimen 11 b.

D.

Desertio 40 a
de Desertoribus Canonistarum sententia 41 b
de Desertoribus sentẽtia Theologorum 42 a
Difficultas excusat à periurio 8 a
Difficultas impedit commussionem pœnæ ibid.
Dispensatio in lege diuina quatenus probetur 24 b
Dispensatio quid ibid.
Dispensationis causæ 25 a
Dispensationis effectus ibi. b
Diuortij causæ 39 a
in Diuortio processus iuris obseruandus 38 b
Diuortium ibid. a
Diuortium an sine cognitione causæ fieri possit ibid. b
per Diuortium separati an possint contrahere cum alijs 43 b
Dotalia instrumenta 30 b
in Dubijs pro matrimonio iudicatur 3 a
Dubitans pro ignorante habendus 5 b

E.

Ebrij an possint contrahere 6 b
Error 4 b
Error conditionis 5 b. 6 a
Error fortunæ 6 a
Error personæ 5 a
Error Qualitatis 6 a
Error quando impediat matrimonium 5 a. 11 a
Error rationabilis 5 a
Eunuchorum duo genera 17 b
Extraordinaria libido 2 b. 11 a 23 a.

F.

Fides pactionis 1 a
Fornicatio 8 b
Frigiditas & siccitas nimia 15 a
Furiosi an possint contrahere 6 b
Furiosus cõtrahere non potest 2 a
Furtum 9 a

G.

Gener 24 a
Glos ibi.
Gradus 19 b

H.

Honestas in matrimonijs spectatur 26 a

I.

Iacob & Leæ coniugum 5 a
Ignorantia facti excusat, non iuris 28 b
Ignorantia iuris mulieres excusat ibi.
Impedimenta matrimonij 5 a. 9 a. 11 a 26 b. 29 a
Impotentia 14 a. 40 a
Impotentia accidentalis manifesta 17 a
Impotentia accidẽtalis occulta 18 a
Impotẽtia naturalis fœminina 16 b
Impotentia naturalis perpetua masculina 14 b
Impotẽtia naturalis tẽporalis 14 a
Impuberes ibid.
Impuberum matrimonia 6 b. 14 a
Impuberum sponsalia 2 a
Incestuosi iure Canonico 10 a
Incestuosi iure Ciuili 9 b
Incestus 9 b. 28 a
Incestus pœna 28 b
Incestus quando impediat matrimonium 10 a
Infidelitas 39 b
Iudæi ibidem
Iuramenti remissio licita 1 b
Iuramentum quando non remittendum 16 b

L.

Legitimatio ex matrimonio 36 b

Legiti-

Legitimationis probatio 37 b
Leprosorum coniugia 27 a
Leuir 24 a
Lex Papia ibid.
Liberi naturales 37 a
Liberorum pietas erga parentes 7 b
Libido extraordinaria 2 b. 11 a 23 a
Ligamen 13 a
Linea 19 a
Linea æqualis ibid. b
Linea inæqualis 20 a

M.

Machinatio in mortem coniugis 12 b
Maiores 20 a
Maleficium 18 a
Malitia ætatem supplet 7 a
Mariæ virginis & Ioseph coniugum 3 b. 4 a
Matrimonia quibus gradibus prohibita 21 a
Matrimonia sint libera 1 b. 2 a 7 b. 8 a
Matrimonij causa efficiens 33 a
Matrimonij causa formalis, materialis, finalis, & effectus 36 a
Matrimonij dissolutio 37 b
Matrimonij impedimenta 5 a 9 a. 11 a. 26 b. 29 a
in Matrimonijs honestas spectãda 26 a
Matrimonium 4 a
Matrimoniũ consummatũ 2 b. 4 b
Matrimonium initiatum 4 a
Matrimoniũ soluitur morte 27 b
Meretrices 8 b
Metus iustus quis 7 b
Metus quando impediat matrimonium ibi. a
Metus reuerentialis ibi. b
Μοιχία 9 a
Mors ciuilis 37 b
Mors naturalis soluit matrimonium 38 a
Mortis naturalis probatio ibi.

N.

Naturales filij 18 b
Necessitas quando excuset 6 b
Nouerca 24 a
Nuptiæ 4 a
Nuptiæ clandestinæ 28 a. 29 b
Nuptiæ clandestinæ cur prohibitæ 29 b
Nuptiæ conditionales 28 a. 31 b
Nuptiæ illicitæ 27 b. 28 a
Nuptiæ incestæ 27 b. 28 a
Nuptiæ inutiles 27 b. 29 a
Nuptiæ licitæ 28 a. 29 b. 33 a
Nuptiæ nefariæ 27 b. 28 a
Nuptiæ publicæ 28 a. 31 b. 33 a
Nuptiæ puræ 28 a. 33 a
Nuptiales solennitates 30 b. 31 a
Nuptiarum incestarum effectus 28 a
Nuptiarum inutiliũ effectus 29 a
Nurus 24 a

O.

Ordo 26 b

P.

Pactionis fides 1 a
Parentũ consensus an sit de substantia matrimonij 33 b
Pœnæ adiectio in contractu 8 a
Pœnæ legales in contractu locũ habent ibid. b
Polygamia nunquam permissa de iure scripto 13 b
Posteriores 20 b
Potiphar 17 b
Priuignus, Priuigna 24 a
Proclamatio nuptiarum in Ecclesia 31 a
Progener 24 a
Promissio in contractu quando ualeat 8 a
Pronurus 24 a
Pubertati proximus quis dicatur 7 a
Publica honestas 2 a b. 10 a 22 b. 25 b
Publicæ honestatis neglectæ pœna 26 b
Puella se parentibus ne opponat in sponsalibus admittendis 1 b

R.

Rapina, Raptus 9 a b
Redintegratio matrimonij post diuortium 43 a
Regulæ de gradibus affinitatis 23 b
Regulæ de gradibus Collaterali 20 a
Religionis disparitas 13 b. 25 a

S.

Salomo 39 b
Senes 14 a
Seruorum coniugia 27 a
Socer, Socer magnus 24 a
Socrus, Socrus magna ibid.
Sodomiticus actus 23 a
Solennitates nuptiales 30 b. 31 a
Spado 17 a
Sponsa an teneatur sequi sponsum absentem 40 a
Sponsalia ante septimũ annum ætatis 2 a
Sponsalia certa 25 b
Sponsalia clandestina 30 b
Sponsalia conditionalia 25 b
Sponsalia de futuro 1 a. 10 a
Sponsalia de futuro non iurata 2 a
Sponsalia de futuro quomodo soluantur 2 b
Sponsalia de præsenti 3 a
Sponsalia iurata 1 b
Sponsalia quid 1 a
Sponsaliorum de futuro effectus 2 b
Sponsus & sponsa unde dicti 1 a
Spurij 18 b
Stipes 19 a
Stuprum 9 a

T.

Tobiæ coniugium 34 a
Tractatus de futuro 1 a
Triennij dilatio 15 b. 18 a
Triennij expectatio tempus legale 40 b

V.

Velamen 30 b
Violentia quando impediat matrimonium 7 a b. 11 a
Vitricus 24 a
Vitta 30 b
Votum 26 b
Vulgò quæsiti 18 b
Vxor 3 b
Vxor mariti forum sequitur 27 b
Vxoricidium 9 a
Vxoris priuilegia 37 b.

Finis Indicis.

TRACTA-

ff.de sponsalibus.c.ueniens qui cle.uel uouen.c.ex parte lā.2.de conuersione coniuga.Et quando per nuncium contrahuntur sponsalia, uidentur hæc uerba satis congrua,quòd nuncius dicat puellæ:Promitto tibi de mandato talis domini mei,& nomine eiusdem, quòd ipse ducet te in uxorem,Et hoc in animam suam iuro. Versa uice, puella respondebit nuncio: Promitto tibi nomine domini tui recipienti,& sibi per te,quòd ego nubam illi,nisi per ipsum steterit, Et hoc iuro. Ita decidit Hostien. in titul.de sponsal ¶ Qualiter contrahantur.Et huc pertinet,quòd parentes uel fratres sæpe contrahunt sponsalia,nomine liberorum,uel fratrum,uel sororum.Et tum illa ualent,si scilicet persona, de cuius sponsalibus agitur,consenserit,uel præsens fuerit, & tacuerit, neq; puella temerè se parētibus opponere debet,nisi indignum moribus uel turpem sponsum parentes elegerint.l.Sponsalia la.2.cum l. sequenti. ff.de sponsalib.c.i.& ij.de matri.contra.inter Eccle.c. nec illud. 30.q.5.c. honorantur.32.q.2.

Sed & hoc obseruandum est, quando inter absentes sponsalia contrahuntur,requiri,quòd personæ,de quarum coniunctionibus agitur, de fama uel aliquo alio modo se nouerint,quia in omnino ignotos cōsentire non possumus,sed in eos,qui non sunt penitus ignoti,possumus consentire.Ita decidit glo. in d.c.nec illud.

Et sunt Sponsalia de futuro duplicia, Iurata & non Iurata.

Sponsalia iurata.

Iurata sponsalia dicuntur, quando promissio de futuris nuptijs celebrandis est Iuramento uallata. Vt c.2.& c.Requisiuit de sponsalib. Et hoc casu si partes utrinq; sibi inuicem iuramentum relinquunt,ualet remissio,adeò quòd re integra se inuicem absoluere possunt, ut notat gl. in d.c.2.in uerbo tolerari.de sponsalibus. Et addit Panormi. ibi rationem: Quia iuramentum præstitum ad commodum hominis,potest remitti ab homine ad cuius commodum fuit iuratum, ex quo infertur, quòd si iuraui tibi soluere tali die,non incido in periurium, si remittis mihi iuramentum,uel dilationem ad soluendum præstitam,facit c.i.de Iureiur.& c.significauit.de cens.Si autem utrinq; non consentiunt, sed una pars urget ad iuramenti obseruantiam,altera uerò renuit,tunc quidem pars renuens non compelli,sed diligenter admoneri debet, ut seruet Iuramentum.Et allegat text.in d.c.2.de sponsalibus, rationem, his uerbis: Si autem se ad inuicem admittere noluerint,ne fortè deterius inde contingat,ut talem scilicet ducat,quam odio habet,uidetur quòd ad instar eorum,qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt,hoc posset in patientia tolerari.

Iuramenti remissio.

Matrimonia libera.

Secundam rationem allegat textus in d.c.requisiuit,his uerbis: Cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quàm cogenda, Cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.Imponitur tamen pœnitentia propter fidem uiolatam.c.penult.de sponsal.

Sponsalia

TRACTATVS CAVSARVM MATRIMONIALIVM, METHODICO ordine ſcriptus, per D. MELCHIOREM KLING, à Steynaw, utriuſque Iuris Doctorem.

DE SPONSALIBVS.

SPONSALIA DICVNTVR MENTIO ET REPROMISſio futurarum nuptiarum. c. noſtrates. 30. quæſt. 5. l. 1. ff. de Sponſalib. Et habent nomen à Spondendo. Nam moris fuit ueteribus ſtipulari & ſpondere ſibi uxores futuras, unde & ſponſi ſponſæq; appellatio nata eſt. l. 2. & 3. ff. de ſponſalibus.

Definitio. & Etymus.

Sunt autem ſponſalia duplicia, ſponſalia de futuro, & ſponſalia de præſenti.

DE SPONSALIBVS DE FVTVRO.

SPonſalia de futuro dicuntur tractatus uoluntarij de futuris nuptijs celebrandis, & contrahuntur inter præſentes, & inter abſentes. Inter præſentes contrahuntur, ut cùm adoleſcens coràm dicit puellæ: Promitto tibi quòd te ducam in uxorem. Per illam promiſsionem, nuptiæ non ſunt contractæ, ſed tantùm ſponſalia de futuro. Sicut in ſimili dicitur: Promitto tibi quòd emam à te domum tuam. Per hæc uerba, Emptio non eſt celebrata, ſed tantùm tractatus de futura emptione celebranda, quando ſcilicet cõuenitur de merce & precio. Ita quoq; nuptiæ non ſunt contractæ per hæc uerba: Promitto tibi quòd te accipiam. Quia hoc eſt tantùm de futuris nuptijs, & ueræ nuptiæ poſtea cõtrahuntur per conſenſum de præſenti, de quibus in c. penult. extra de ſpõſalib. Et licet uideatur, quòd Germanica lingua illam differentiam non admittat, tamen ſi quis obſeruet, poterit idem in Germanica lingua intelligere. Sæpe enim fit, quòd adoleſcentes differunt, ibi interrogatur uel à puella, uel ab eius cognatis, quid ſit facturus, an uelit eam ducere. Adoleſcens reſpondet: Promitto quòd eam accipiam, uel, promitto tibi, quòd te accipiam, tantùm eſt tractatus de futuris ueris nuptijs celebrandis. Et de his habes text. in c. is qui fidem. & c. Si inter. de ſponſalib. Vocantur autem iſtiuſmodi ſponſalia, fides pactionis, ut in c. i. de ſponſa. duo.

Tractatus de futuro.

Fides pactionis.

Inter abſentes uerò contrahuntur per literas uel nuncium. Conſtat enim abſentem abſenti deſponſari poſſe, ſi abſens hoc ſciat, puta quia nuncium miſit, uel de cõſcientia ſua fit, uel poſtea ratum habeat, quamuis de hoc ab initio nihil ſciret. Et hoc quotidie fieri uidemus, nec refert utrum ſcriptura interueniat nec ne. l. ſufficit. & l. ſequenti. & l. fin.

Contractus inter abſentes.

Sponſalia uerò de futuro non iurata fiunt quatuor modis: Primò per uerba de futuro, ad hoc apta, quæ ſeruari debent, uel imponitur pœnitentia non ſeruanti. c. i. cum ſimilib. de ſponſa. duorum. Secundò per uerba de præſenti, ſi contrahentes ſunt impuberes, uel alter eorum. Nam iuris interpretatione ſunt ſponſalia de futuro. c. final. de deſponſatione impuberum. & c. unico §. Idem. eo. titul. in 6. Tertiò per dationem Arrarum. l. Arris. C. de ſponſalibus. Hoc tamen intelligè quando præceſſerunt uerba uel ſigna hoc indicantia. Quartò per ſubarrationem annuli, c. ſi quis uxorem deſponſauerit. 27. quæſtio. 2. Vide Panormitanum & Doctores in d. cap. primo de ſponſa. duorum. *Sponſalia non iurata.*

Eſt & alia diuiſio, quòd ſcilicet ſponſalia quædam ſunt Pura, quædã uerò Conditionalia, ſed de hac & alijs diuiſionibus dicemus infrà.

Cauſa efficiens iſtorum ſponſaliorum eſt conſenſus uoluntarius per uerba de futuro l. 4. ff. de ſponſalibus. Igitur qui conſentire non poteſt, non contrahit ſponſalia. Hinc ſequitur, furioſum contrahere non poſſe. l. furor. cum ſimilibus. ff. de ſponſalibus. Quomodo autem hoc intelligatur, dicemus infrà in explicatione definitionis matrimonij. *Furioſus contrahere non poteſt.*

Item ſequitur, neminem cogendum inuitum ad contrahenda ſponſalia. l. ſponſalia. la. 2. cum duabus legibus ſequentibus. ff. de ſponſali. c. 1. de deſponſatione impuberum, cum ibi notatis per gloſſ. & Doctores Et de his & alijs requiſitis quoque dicemus infrà in definitione matrimonij. *Matrimonia libera.*

Quanquàm autem impuberes propter fragilitatem ætatis non dicantur conſentire: tamen poſt ſeptimum annum ætatis ſponſalia de futuro contrahere poſſunt, quibus hoc modo contractis ante annos pubertatis reclamare non licet. Sed ambo puberes facti, quilibet reclamare & pœnitere poteſt. Vt habetur & notatur in c. de illis. de deſponſatione Impuberum. Et hoc uerum, ſi ſtatim puberes facti reclamauerint. Si enim non ſtatim contradixerint, uidentur ratificare. Et idem Iuris eſt, quod de ſponſalibus puberum, de quorum diſſolutione infrà dicemus. Ex deſponſatione tamen impuberum poſt ſeptennium, oritur impedimentum publicæ honeſtatis. c. literas. & c. duo pueri. de deſponſat. Impuber. Sed ante ſeptimum annum non ualent ſponſalia, adeò quòd ſi pater pro filio in tali ætate conſtituto contrahat, tamen filius de neceſsitate non obligatur, niſi conſentiat cùm ad annos diſcretionis peruenerit. c. ubi. 30. quæſt. 2. c. 1. cum ibi notatis. Et c. literas. Et c. acceſsit. Et c. duo pueri. de deſponſatio. Impuber. c. 1. eod. titul. in 6. Et ſi talis contractus fuerit celebratus, non oritur ex eo publicæ honeſtatis iuſtitia, niſi iuuenis tentauerit puellam nondum ſeptennem cognoſcere, tunc enim prohibetur in dubio eius conſanguineam ducere. *Impuberum ſponſalia.* *Sponſalia ante ſeptimum annum.*

c.Iuuenis. de sponsalibus. Idem dic de eo, qui contraxit sponsalia cum puella nondum septenni,& eam extraordinaria libidine,& sic extra naturalia polluit.c. fraternitati.de eo qui cogno.consangui. uxoris.Si autem esset sola extraordinaria pollutio,non præcedentibus sponsalibus, nonimpediretur matrimonium cum consanguinea pollutæ. c.extraordinaria.35.q.3.

Si tamen post septimum annum non contradixerint uerbo uel facto, ut cum alia contrahendo,& ualent sponsalia de futuro impuberum. d. c.literas.& d.c.duo pueri.

Effectus sponsaliorum de futuro sunt quinq;.

Primus est,quòd ea pars,per quam stat, quò minus sponsalia deducantur ad matrimonium , tenetur ad duplum Arræ, si data est Arra. l. mulier.in prin.C.de Sponsalib.

Arræ redditio.

Secundus,quòd pars contraueniens,& aliam ducens,de fide mentita debet agere pœnitentiam d.c.i.de sponsa.duorum.

Tertius effectus est,quòd si post sponsalia de futuro sequatur copula carnalis,uolente sponsa,uerè, tunc efficitur perfectum matrimonium.c.ueniens.& c.is qui.de sponsalibus. Dico autem, uolente Sponsa. Quia si uiolenter & inuita est cognita , ut quia ligauit ei pedes & manus, Et non transeunt in matrimonium per copulam. cap. Continebatur. uer. si autem fuerit. de desponsatione impuberum. & quæ notant Doctores ibi.Idem potest dici de metu in constantem uirum cadente. d.c.ueniens.& cap.cùm locum.de Sponsalibus.Dico,uerè: quia si spõsus uisus est tantùm Sponsam de futuro carnaliter cognosere , nec tamen cognouit, per hoc non est effectum matrimonium , quod alij per uerba de præsenti contracto præiudicare possit.cap. final. cum ibi notis.de sponsalibus.

Matrimonium consummatũ.

Quartus effectus,quòd ex sponsalibus de futuro oritur publicæ honestatis iustitia,hoc est,quòd consanguinei sponsi non possunt ducere Sponsam,& ècontra. Licet enim copula nondum secuta,affinitas contracta non sit, tamen est contracta publica honestas,& in coniunctionibus,non solùm,quod liceat, sed quod honestum est, considerari debet.l.semper.ff.de ritu nuptiarum.Et hoc procedit,si sponsalia sunt purè contracta.cap.ad audientiam. & cap.Sponsam.de sponsalibus. De conditionalibus sponsalibus infrà dicemus.

Iustitia publicæ honestatis.

Quintus effectus est, quòd præsens absentem expectare tenetur,si non diu abfuerit, ut notant Panormitan.& alij.in c.de illis.de sponsalibus.

Soluuntur autem Sponsalia duobus modis,per Sententiam, & ipso Iure.

Per sententiam autem soluuntur ex multis causis:Primò,si alter fornicetur, uel incidat in lepram, uel paralysin, uel amitteret oculos, uel nasum,

nasum, seu quicquam aliud ei turpius eueniret post contracta sponsalia. Propter fornicationem enim, uel alios defectus sponsalia præcedentes, sponsalia non soluuntur. c. quemadmodum. de iureiurand. c. fi. de coniug. leprosorum. Idem est, si alter incidat in hæresin. Nam & illud mœchatio est. c. non solum. 28. q. 1.

Secundò soluuntur, si ambo communiter dissentiant. c. ij. de sponsalibus.

Tertiò, si longo tempore aliquis eorum se absentet. d. c. de illis. de spõsalibus.

Quartò, si conditio fuit apposita, quæ non adimpletur. c. de illis. de conditio. appo.

Quintò, si impubes contrahit, & pubes factus dissentit. c. de illis. de desponsat. impube.

Ipso iure, sine iudicio & sententia Ecclesiæ soluuntur tribus modis.

Primò, si alter eorum contrahat cum alio per uerba de præsenti, tũc soluuntur sponsalia de futuro, etiam si fuerint iuramento firmata. c. is qui. & c. si inter. de sponsalibus.

Secundò, si ante matrimonium completum superuenit post sponsalia affinitas, ut quia sponsus cognouit consanguineam sponsæ, uel è contra. ut per totum, de eo qui cognouit consang. uxoris suæ.

Tertiò, cùm certum tempus appositum fuit inter sponsos, ad cõtrahendum matrimonium de præsenti, & est elapsum priusquàm contraxerunt, ut notatur per Docto. in c. Sicut ex literis. de sponsalib. præter istos casus sponsalia non soluuntur. Hinc est, quòd si fuerint duo sponsalia, prima non iurata, secunda iurata, tamen priora non soluuntur per sequentia, propter iuramentum. Quia iuramentum non debet esse uinculum iniquitatis. c. quanto. de iureiuran. Et tantum de sponsalibus de futuro.

DE SPONSALIBVS DE PRAESENTI.

SPonsalia de præsenti dicuntur, quando de præsentibus nuptijs dispositiuè tractatur, Et contrahentes per uerba de præsenti consentiunt.

Sponsalia de præsenti quibus uerbis contrahuntur.

Hæc autem uerba consensum de præsenti importantia uarijs modis proferri possunt, ut hoc modo: Promitto tibi quòd sis uxor mea. Item tractabo te tanquam uxorem meam. Item, nemo separabit nos excepta morte. Item si uir dicat mulieri: ab isto tempore in antea te pro conuiuge tenebo, & tibi sicut uxori fidem seruabo, & ècontra. Item, promitto quòd semper tibi prouidebo sicuti uxori, & mulier idem respondeat. Item si dicant inuicem: Promitto quòd non dimittam te pro meliori uel peiori. In talibus enim & similibus dubijs est semper pro matrimonio præsumendum & iudicandum. c. licet. la. 2. de testibus. c.

In dubijs pro matrimonio iudicandum.

ſi.de re iudicata.Item ſi dicat uir mulieri: tenebo te pro uxore, quoūſq; ponatur mihi terra ſuper oculos. Quia etiam per uerba futuri temporis contrahitur matrimonium de præſenti,quando ſcilicet uerba denotant executionem matrimonij,non autem principium contractus. Nã qui uult conſequens,tacitè quoq; uidetur uelle antecedens, c. præterea. cum ſimilibus.de officio delega.Et hæc omnia habentur in c. exparte. & c.ſi inter.& quæ ibi notant Doctores,de ſponſalib. Et dicit Hoſtien. in tit.de matrimonijs §. qualiter contrahat.uer.effuge.ſi quis promiſerit puellæ etiam per uerba indiſcreta, & talia quæ per ſe nõ ſufficerent ad matrimonium,tamen ſi poſt illam indiſcretam promiſsionem ſequitur copula,quòd matrimonium præſumi debeat,per tex.in c.tuas.de conditionibus appoſitis.

Contrahuntur autem ſponſalia de præſenti quoq; bifariam: Aut enim contrahuntur inter præſentes,& per ipſos contrahentes: Aut uerò inter abſentes,& per medias perſonas.

Inter præſentes contrahuntur, quando ipſæ perſonæ contrahentes utuntur uerbis & promiſsionibus ad hoc aptis,de quib.iam diximus.

Contractus inter abſentes. Inter abſentes uerõ contrahi dicuntur,quando contractus fiunt per nuncium uel per epiſtolam. Per nuncium autem poſſunt fieri hoc modo,quòd nuncius habens mandatum & exhibẽs dicat puellæ: Talis dominus meus ſalutat te,& me mediante & nũciante,promittit tibi, quòd accipit te in ſuam,& conſentit in te tanquam uxorem. Econtra puella poterit reſpondere: Et ego te mediante recipio dominum tuum in meum,cùm ipſe me in ſuam te mediante recipiat,& in ipſum conſentio tanquam in maritum. Vel poterit puella breuibus reſpondere, his uerbis: Conſentio his quæ mihi denunciaſti. Vide Hoſtien.in tit.de ſponſal §. qualiter contrahatur. Et huc refer,quando parentes uel conſanguinei deſponſant adoleſcentes uel puellas, illis præſentibus, uel abſentibus. De his uide quæ ſuprà diximus de ſponſalibus de futuro.Et uide 31.q.3. per totum.& c.1.de deſponſa.impube.& in c.1.eo. tit.in 6. Perſonæ autem,quæ hoc modo contraxerunt,dicuntur coniuges, etiamſi copula nondum eſt ſecuta. Quia conſenſus cohabitandi, & indiuiduam uitæ conſuetudinem retinendi,facit coniugium.c.beata.c.coniuges.& c.coniunx.27.q.2.Et ideò dicit text.in d.c.coniunx:Coniunx uocatur à prima deſponſationis fide,quam concubitu nõ agnouerat Ioſeph, nec fuerat cogniturus. Nec perierat,nec mendax manſerat coniugis appellatio,ubi nec fuerat,nec futura erat carnalis ulla cõmixtio, propter quod fidele coniugium ambo parentes Chriſti uocari meruerunt, non ſolùm illa mater,uerumetiam ille pater eius, ſicut & coniunx matris eius fuit, utrunq; mente,non carne,&c. Et ſunt uerba beati Auguſtini in lib.de bono coniugali.

Coniugũ quid faciat.

Vxor. Et ideò talis ſponſa etiam non cognita appellatur uxor, ſicuti habe-

tur

tur Deute.22.ubi dicitur : Si quis ſponſam alterius uiolauerit , morte moriatur. Quia uxorem alterius uiolauit.c.omne.c.qui deſponſatam 27.q. 2.Et angelus Matth.i.dicit ad Ioſeph : Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Cùm tamen tantùm deſponſatio, & nulla carnalis copula præceſſerat. Et habetur hoc in d.c.qui deſponſatam. & in c. priuſquàm.27.q.2.

Appellantur autem ſponſæ coniuges conſuetudine ſcripturæ,ſpe futurarum,non effectu præſentium.c.inſtitutum.27.q.2.

Hinc eſt,quòd ſponſos appellamus generos,ut Gene.19. ubi ſponſi filiarum Loth,quæ uirgines erant,uocantur generi. Et habetur hoc in c. egreſſus.27.q.2.

Et ſic patet,quòd ſponſalia de præſenti dicuntur matrimonium,connubium,coniugium, cõſortium,& nuptiæ. Sunt enim hæc ſynonyma. Contubernium uerò dicitur,quod ſerui & ancillæ contrahunt , ſecundum glo.inſtitu.de patria poteſt.in prin.in uer.nuptiæ.

Eſt autem matrimonium duplex: Matrimonium initiatum,& matrimonium conſummatum,ſecundum gl.in c.cùm initiatur. 27.q.2.

DE MATRIMONIO INITIATO.

MAtrimonium initiatum dicitur conſenſus maris & fœminæ,habitus in præſenti,quòd ſicut animi ſunt uniti,ſic copula,quo ad carnalem copulã,quo ad propoſitũ,legitimè uniãtur, niſi aliter à Deo fuerit reuelatum.c.2. de conuer.coniuga.c.ſtatutum.cum cc.ſequentibus. 27.q.2. Sunt enim ibi uerba Ambroſij, qui ſic dicit : Sed ſciendum eſt, quòd coniugium deſponſatione initiatur,commixtione perficitur. Vnde inter ſponſum & ſponſam coniugium eſt,ſed initiatum : inter copulatos eſt coniugium ratum. Nec obſtat huic definitioni exemplum beatæ uirginis Mariæ Dicit enim Auguſtinus ; Beata Maria propoſuit ſe ſeruaturam uotum uirginitatis in corde,ſed ipſum uotum uirginitatis non expreſsit ore : ſubiecit ſe diuinæ diſpoſitioni,dũ propoſuit ſe perſeueraturam uirginem,niſi Deus aliter ei reuelaret. Committens ergò uirginitatem ſuam diuinæ diſpoſitioni , conſenſit in carnalem copulã, non illam appetendo , ſed diuinæ inſpirationi in utroque obediendo. Poſtea uerò,cùm filium genuit,quod corde conceperat, ſimul cum uiro labijs expreſsit,& uterque in uirginitate permanſit. Conſenſus ergo cohabitandi,& indiuiduam uitæ conſuetudinem retinendi interueniens,eos coniuges fecit. Hæchabentur in c.beata.27.q.2. Quæ autem requirantur ad matrimonium initiatum,dicemus in explicatione definitionis & diuiſionis Matrimonij cõſummati. Illa enim ipſa,quę in cõſummato requiruntur,& in initiato eſſe debent,excepta copula carnali. Et tantum de matrimonio initiato.

Coniugium initiatum.

Mariæ uirg. coniugium.

DE MATRIMONIO Consummato.

Matrimonij cõsumati definitio.

MAtrimonium consummatũ dicitur coniunctio maris & fœminæ, consentiens, libera & legitima, indiuiduam uitæ consuetudinem, diuini humanique iuris communicationem continens. Hæc definitio probatur per text. in l. i. ff. de nuptijs. Instit. de patria potestat. in princip. Iuncto §. finali. & quæ ibi notat gloss. Instit. de nuptijs. c. 1. 27. q. 2. c. 1. 29. q. i. cum similibus.

Genus istius definitionis est coniunctio.

I. *Coniunctio.*

Dico autem in definitione simpliciter, coniunctio, Quia primùm intelligitur de coniunctione animorum & corporum simul, alioqui enim tantùm esset matrimonium initiatum, & non consummatũ, per ea quæ habentur & notantur in cap. 1. in gloss. in uerbo coniunctio. & in cap. cùm initiatur. iuncta gloss. in uerbo, cùm initiatur. 27. q. i.

Secundò, dico coniunctio simpliciter, quia non distinguitur, siue cõjungantur qui honestè uixerunt, uel turpiter. Quia etiam meretrix in uxorem duci, & coniungi potest, si modò desistat. c. integritas. & c. Non est culpandus 32. quæstion. i. c. Inter opera charitatis. de sponsalibus.

Tertiò dico coniunctio simpliciter, quia non distinguitur, an semel fiat, an uerò sæpius, sed tamen non simul. Hinc est, quòd coniunctio in bigamia, trigamia, uel etiam octogamia licita est. c. Quomodo. c. aperiant. & c. Deus masculum. 31. q. i.

II. *Maris.*

Secundò, dico in definitione primùm, Maris, quòd masculus primũ creatus est, & mulier eius dominio subiecta. Sicut dixit Deus mulieri, Genes. 3. & ad uirum tuum erit desiderium tuum, & ipse dominabitur tibi. Et probatur copiose per totum. 33. q. 5.

III. *Maris & fœminæ.*

Tertiò dicitur in definitione, Maris & fœminæ. Primum ideo, quòd in uno tantùm sexu non potest cadere matrimonium. l. cùm uir. C. de adulterijs. c. clerici de excessibus prælatorum. c. flagitia. 32. q. 7. gloss. in d. c. i. in uerbo uiri. 27. q. 1.

Secundò dicitur, maris & fœminæ in singulari. Quia ab initio non sunt creati duo uiri, uel duæ mulieres, sed primõ masculus, deinde fœmina. Igitur unus masculus non plures fœminas, nec una fœmina plures maritos habere debet. c. gaudemus. §. quia uerò. de diuortijs. Et huc pertinet, quod dicit Paulus: Vnusquisq; habet suam, & unaquæque suum, non dicit, suos. Item, uir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.

IIII. *Consentiens coniunctio.*

Quartò dico in definitione, consentiens coniunctio. Primò ad differentiam erroris, & dicitur Error, quando aliud pro alio reputatur. c. in quibus 22. q. 2. c. quamuis. 38. distinct. Igitur qui errat non consentit. l.

Si

Si per errorem.ff. de iurisdict.omnium Iudicum. Et errantis uoluntàs nulla est. l. cùm testamentum. & l.Non idcirco. C. de Iuris & facti ignorantia. Quare cùm matrimonia absque consensu esse non possint, & errans non consentiat, sequitur quòd propter errorem matrimoniũ contrahendum impediatur, & contractum dirimatur. Sed tamẽ omnis error consensum non excludit.

Ideò pro intellectu istius quæstionis dic errorem esse quadruplicem. i. Personæ. ij. Conditionis. iij. Fortunæ. iiij. Qualitatis. *Error quadruplex.*

DE ERRORE PERSONAE.

ERror personæ dicitur, quando quis contrahit cum una, & credit se contrahere cum alia, ut quando contrahit cum Lea, & putat se contrahere cum Rachel. secund. gloss. in c.1. in uerbo putatur. 29.q.1.

Et circa hunc errorem personæ distingue: Aut loquimur de matrimonio initiato, Aut uerò de matrimonio cõsummato. Primo casu dic, quòd talis error impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Et is error impediens & dirimens non est ex constitutione Ecclesiæ, sed iuris naturalis, cùm consensus debeat esse liber. c. cùm locum. de sponsalibus. Et est de hoc tex. in d.c. 1. 29. q.1. & notatur in c. proposuit. de coniugio seruorum. Vt autem iste error sit rationabilis, necesse est, quòd is qui errat habeat aliquam notitiam personæ, cum qua contrahere se putat, Aut per uisum, aut per auditum, aut per famam. Quia in penitus ignotam nec affectum, nec consensum dirigere possumus. arg. l. cùm ab eo §. mensam. & l. in lege. ff. de contrahend. emptione. Vide Hostien. in titul. de matrimo §. qualiter impediatur. uer. primo. ergo occurrit. *Error rationabilis.*

Secundo casu, quando scilicet loquimur de matrimonio consummato per carnis copulam, ut quia Titius maritali affectu cognouerit Bertam, quam putabat Semproniam, tunc propter consensum subsequentem realem, fit matrimonium. Et hoc maximè, si cum Sempronia contraxisset sponsalia de futuro, & non de præsenti. Quia illa per aliud matrimonium etiam carnali copula consummatum dissolui non possunt. cap. is qui fidem. & cap. Si inter. de sponsalibus. cap. 1. 29. quæstio. i. Et hinc patet solutio ad exemplum Iacob & Leæ, quam errans cognouit, & putauit esse Rachel. Quia eos fecit coniuges non consensus præcedens, sed subsequens, cùm ille maritali affectu eam cognouerit, & illa uxorio affectu sibi debitum persoluerit, putans se lege primogenitarum, & paternis imperijs sibi iure copulatam, ut Genes. 29. Hoc autem eo tempore iustum erat, quia secundum consuetudinem illius tẽporis poterat quis habere simul plures uxores, etiam duas sorores. Igitur *Iacob & Lea coniugum.*

siue

ſiue ſponſalia cum Rachel de futuro, uel de præſenti fuerant, nihil referebat. Hodie uerò ſi quis contraxiſſet ſponſalia de præſenti cum Berta, & poſtea cognoſcens maritali affectu Semproniam, quam putaret Bertam eſſe, non ualeret ſecundum matrimoniũ, ſed primum. Secus ſi fuiſſent ſponſalia de futuro, d. c. is qui. & d. c. ſi inter. Vide c. 1. 29. q. 1. Et tantum de errore perſonæ.

DE ERRORE CONDITIONIS.

ERror Conditionis dicitur, quando quis contrahit cum ancilla, quam putat eſſe liberam. Et hoc caſu dic: Aut liber contrahens cum ancilla tempore contractus nouit ſeruilem conditionem mulieris, uel ex pòſt facto ſcienter ratificat. Et ualet matrimonium. d. c. propoſuit. & c. ad noſtram. de coniugio ſeruorum. Aut tempore contractus neſcit, & ſubdiſtingue: Aut loquimur de errore conditionis ſeruilis, Aut uerò de errore conditionis alterius. Primo caſu dic, quòd libero homini non præiudicat, niſi ſecuta ſit copula. d. c. propoſuit. d. c. ad noſtram. Et eſt ratio: Quia ſeruus non poteſt liberè poteſtatem ſui corporis tradere alteri ſine conſenſu domini ſui. Sed in hac materia, quod ad copulam attinet, ſubdiſtingue: Aut liber homo exigens debitum, uel perſoluens ſeruo uel ancillæ, tempore copulę neſciuit conditionem ſeruilem. Et talis copula non præiudicat homini libero erranti. d. c. propoſuit. ſumpto argumento à contrario ſenſu, & d. c. ad noſtram. cum ibi notatis. Aut uerò ſciuit tempore copulæ pro certo conditionem ſeruilem, & tamen exegit uel reddidit debitum. Et ualet matrimonium, nec poteſt dirimi. d. c. propoſuit.

Conditionis ſeruilis error.

Poterit autem pro certo ſcire quatuor modis: Primo, quando eſt notorium. Secundo, quando per ſententiam eſt pronunciata ancilla, ut habetur & notatur in d. c. ad noſtram. Tertio, per euidentiam facti. Quarto per confeſsionem legitimè factam in iudicio. De his omnibus uide c. ueſtra. c. tua. & cap. final. & quæ ibi notantur. de cohabita. clerico. & mulier.

Conditio ſeruilis quomodo ſciri poteſt.

Si autem non ſciuit pro certo, ſed de conditione ſeruili probabilem & diſcretam habet credulitatem, non tamen euidentem & manifeſtam, & poterit quidem debitum reddere, ſed poſtulare non debet, alioqui præiudicat. cap. inquiſitioni. Paragraph. final. de ſentent. excommunica. Si uerò audierit ſimpliciter, coniugem eſſe ancillam, nec tamen habet credulitatem probabilem uel diſcretam, ſed leuem & temerariam, & poteſt exigere, & reddere debitum, nec præiudicat ei copula, quo ad ſeparationem. d. cap. Inquiſitioni. Paragraph. in ſecundo. de ſentent. excommuni. Non enim tenetur credere cuilibet referenti. cap. in cunctis. xi. quæſtion. iij. Titubans enim pro ignorante habendus eſt. l. final. C. de conditione indebiti. Vide

gloſſ.

gloss.& quæ ibi notantur in d, c. proposuit. in uerbo Audiuit. de coniugio seruorum.

Secundo casu principali, quando scilicet agitur de errore alterius, quàm seruilis conditionis, utputa quòd seruus contrahit cum libera, quam putat esse ancillam. Et talis error nec impedit nec dirimit matrimonium, cùm errantis melior fiat conditio. Igitur eo inuito contra eũ possumus iudicare, arg. l. soluendo. ff. de nego. gestis. l. i ij. & iij. ff. de liberali causa. Et licet sint opiniones super hoc membro, tamen illam decisionem tenent & approbant Hostien. in tit. de coniugio seruorum. §. & an matrimonium. uer. quod autem dixi. Innocen. Panormi. & alij in d. c. proposuit. Et facit ad hoc decisio Felini, in c. i. ut lite non contest. Vbi dicit, quòd decisio unius Doctoris Authentici præualeat communi opinioni. Idem decidit Felinus in c. i. col. penul. de constit. Et idem dic de seruo, qui contraxit matrimonium cum ancilla, quam putabat esse liberam, & sic errauit circa conditionem. Quia ualet matrimonium, cùm non habeat quod ei obijciat. Sunt enim paris conditionis. Ita decidunt Innocent. & Panormita. in d. c. Proposuit. Et est gloss. 29. q. 2. in summa. Et huc potest allegari in argumentum 32. q. 6. per totum. & c. significasti. de diuortijs. Idem iudicandum est de libero homine, qui contrahit cum libera, quam putat ancillam. Quia non intelligitur deceptus, qui cum meliori contrahit, quàm credebat, ut præallega. gloss. 29. q. 2.

Conditionis alterius quàm seruilis error.

In summa, idem Iuris est, si libera mulier contrahat cum ascriptitio. Ita decidit d. gloss 29. q 2. In summa. Panormita. & alij in d. c. proposuit. Quis autem dicatur ascriptitius, uide Angel. Institu. de Iure personarum in principio.

Ascriptitius.

Alias autem quæstiones, ut si dominus petit seruitium à seruo, & uxor debitum, eodem tempore, quis præferatur. Item si dominus uellet uendere seruum uxoratum alicui, qui illũ abduceret ad exteras nationes, an possit sine uoluntate uxoris serui. Vide in glo. in d. c. proposuit. in uerbo seruitia, & quæ ibi notantur de coniugio seruorum. Item si maritus moueret uxori litem conditionis, an pendente lite possit debitum exigere & reddere, gloss. in d. c. Proposuit. in uerbo audiuit.

DE ERRORE FORTVNAE.

ERror fortunæ dicitur, quando quis contrahit cum paupere, quam putat diuitem. Et hic error matrimonio non præiudicat, d. c. 1. 29. q. 1.

DE ERRORE QVALITATIS.

ERror qualitatis est, quando quis contrahit cum corrupta, quam putat uirginem. Et talis error quoque non præiudicat. Nocet enim

tantùm

tantùm fornicatio post contractum matrimonium sequens, non autem præcedens. c. quemadmodum. §. ita. de iureiurando. Et hoc habetur expresse in d. c. 1. 29 q. 1. Et tantum de errore.

CONIVNCTIO CONSENTIENS.

De furiosis. Secundò dico, Coniunctio Consentiens, propter furiosos, qui consentire, & sic per consequens matrimonium contrahere non possunt, c. dilectus. cum similibus, de sponsal. In hac tamen quæstione hoc modo distingue. Aut est talis furiosus, qui perpetuo & continuo furore laborat. Et certum est, quòd tempore furoris matrimonium contrahere nõ potest. Si autem ante furorem contraxit, tunc propter furorem in matrimonio interuenientem, matrimonium dirimi non potest. c. neque furiosus. 32. q. 7. & d. c. dilectus. l. furor. ff. de sponsalib. l. oratione. ff. de ritu nuptiarum. Aut non laborat furore continuo, sed habet dilucida interualla, & tempore furoris quoq; contrahere non potest. Ad sanam mentem autem reuersus, & quando dilucida interualla habet, contrahere potest. d. c. dilectus. d. c. neq; furiosus. & quæ ibi notantur.

De ebrijs. Tertiò dico in definitione, Consentiens coniunctio, propter ebrios. Nam & ipsi non dicuntur consentire. Sed in hac quæstione quoq; distingue: Aut contrahens est ita ebrius, quòd nullo modo habet usum rationis, nesciens omnino quid agat. Et tunc idem Iuris est, quod in furioso. Nec ualet matrimonium, etiamsi post ebrietatem eam cognoscat, nisi post ebrietatem ratificet, quę ebrius promisit. c. unusquisq;. iuncta gloss. in uerbo, Quod ebrius. 22. q. 4. c. sane. 15. q. 1. gloss. Bald. & Salyce. in l. dolum. C. de dolo.

Aut non est tanta ebrietas, quòd usum rationis auferat. Et tunc non est dubium, quin possit contrahere, quia consentire potest. Ideò si ebrius post sponsalia de futuro cognoscat sponsam carnaliter, per hoc fit perfectum matrimonium. c. is qui. de sponsalibus.

Aetas. Quartò dico in definitione, consentiens coniunctio, propter impuberes. Nam & illi non dicuntur consentire. Dicuntur autem masculi

Impuberes. impuberes, usq; ad annum decimumquartum, & puellæ usq; ad annum duodecimum, ut notatur in c. puberes. cum similibus, de desponsatio. impub.

In hac autem quæstione quoq; distingue: Aut interuenit aliqua urgentissima necessitas, utpote pro bono pacis, & toleratur coniunctio

Necessitas. matrimonialis impuberum. c. ubi. de desponf. impub. Potest enim ex urgenti necessitate, uel pro bono pacis quandoq; recedi à dispositione legali, uel canonica, ut 29. dis. per totum.

Aut non interuenit talis necessitas, & dic: Aut impuberes sunt pubertati proximi, & tales, quòd malitia supplet ætatem, ita quòd coire possunt. Et ualet matrimonium, per tex. in c. puberes. Et c. de illis. el ij. de desponsatio. impub. c. unico §. Idem quoq;. eo. in 6. Vocatur autem

hoc

hoc casu puella pubertati proxima, quando est undecim annorum. c. continebatur. de desponsatione impuberum. Et uide quæ notantur in c. attestationes. eod. tit. Et quæ notat Hostiensis in summa sua. ibi. ℣. Et quæ sponsalia.

Malitia autem, quæ hoc casu ætatem supplet, uocatur naturalis uigor & potentia coëundi, secund. Archidiac. in d. c. unico. de desponſ. impube. in 6. *Malitia ætatē supplens.*

Si autem quæratur unde constet, quòd malitia suppleat ætatem. Ad hoc respondet gloss. in d. c. i. in uer. supplebat. de desponsat. impuberū, in 6. ubi dicit: Quid si puer minor annis quatuordecim multas mulieres cognouit? Et puella minor duodecim annis à pluribus est cognita? Vtiq; hi contrahunt matrimonium. Idem decidunt ibi Archidia. Do. Ge. Philip. Franc. Et alij ibi. Innocent. & Panor. in d. c. de illis. El. 2. de desponsatione impuberum.

Aut sunt tales impuberes, in quibus malitia non supplet ætatem, & non admittitur Matrimonium. d. c. ubi. de desponsatione Impube. Et allegat Panormitanus ibi rationem, quòd talis coniunctio ideò non est admittenda per Ecclesiam, ne postmodum dubitetur de ualiditate Matrimonij, ut in terminis capit. Continebatur. eodem titul. Et tantum de Coniunctione consentiente. Nunc dicemus de libera coniunctione.

CONIVNCTIO LIBERA.

Quartò dico in definitione, Libera coniunctio, primò ad differentiam eorum, qui metu coacti cōtrahunt matrimonium. Sed in hac quæstione distingue: Aut est leuis & uanus metus, seu talis qui non potest uerisimiliter cadere in constantem uirum, uel constantem mulierem. Et talis non impedit matrimonium contrahendum, ar. c. cùm dilectus. de his quæ ui metūsue causa fiunt. Aut est metus in constantem uirum cadens, ut metus mortis, cruciatus corporis, amissionis omnium uel maioris partis bonorum, uel similis. d. c. cum dilectus. & c. ueniens. Et c. consultationi. de sponsalib. c. Abbas. de his quæ ui metūsue causa fiunt. Et dic: aut sequitur libera, & spontanea copula carnalis. Et ualet matrimonium. Quia per hoc præcedens metus est purgatus. d. c. ueniens. & d. c. Consultationi. Iuncta gloss. in uerbo, ante carnis copulam. Et c. significauit. de eo qui duxit in matrimonium, quam per adulterium polluit. Aut non est secuta copula libera & spontanea, & dic, aut post consensum coactum, is, qui dicit se coactum, cohabitat in domo alterius coniugis, sponte & uoluntariè, per annum, uel dimidium, uel tanto tempore, quo potuerit aufugere, & non aufugit. Et tunc non auditur cum allegatione metus, per text. in c. ad id. cum ibi notatis, per Panorm. & alios, de sponsalibus. c. insuper. qui matrimonium accusare possunt. c. ex literis. de desponsat. Impuber. c. unico. eod. titul. in 6. *Metus.*

Hostiensis in titul. de matrimon. §. qualiter impediatur. uer. item consentire.

Aut non cohabitat, & constat de metu, uel probari potest, & certum est, quòd impedit matrimonium, non distinguendo, metus contingat ipsos contrahentes, uel eorum parentes. Nam licet filiæ contrahenti nulla uis inferatur: tamen si quis puellæ patrem uelit occidere, si filia non consentire uellet, & per hoc extorquere filiæ consensum, utique nõ esset liber consensus, qui fieret pro redimendo patre. Igitur talis metus iustus esset ad impediendum, cùm liberi pericula parentum iudicare debeant, ac si essent propria. l. isti qidem. in fine. & quæ ibi notantur. ff. quod metus causa. c. 2. 31. q. 2. Ita decidit Innocent. in d. c. cùm locum. Et probatur per ea, quæ habentur in c. consultationi. de sponsalibus. Et hæc procednut etiam, si quis sua culpa præbuisset occasionem ad coactionem, utpote quòd esset repertus in lecto cum muliere, & coactus cum ea contrahere, non ualeret, etiamsi tempore metus, copula accessisset, si modò extra metum constitutus non ratificauerit. c. ueniens. el. 2. iuncta gloss. fi. de sponsal.

Liberorum pietas erga parentes.

An autem matrimonium propter metum annulletur ipso iure, uel ope exceptionis, uel iure actionis, uide Panorm. in d. c. cum locum. Et in d. c. ueniens. de sponsalibus. Decidit autem, quòd annulletur ipso iure. Vide doctores in l. Titia. ff. de uerb. oblig.

Sunt autem minæ parentum iustus metus. Quia talis metus dicitur reuerentialis. c. ex literis. & quæ notat Panormitanus ibi. de desponsatione impuberum, ubi dicit Panormitanus: Nota quòd minæ parentum inducunt iustum metum, maximè in muliere, quod ego admitterem considerata qualitate parentum & minarum. D. Iason. in d. l. Titia. uer. octauò adde. Minor enim metus excusat mulierem quàm masculum. Quia fragilior est ratione sexus, secundum glossam in d. cap. cùm locum. in uerbo Metus. Et est text. in cap. indignantur. 32 q. 6.

Metus reuerentialis.

Et quod ad metum attinet in causis matrimonialibus, concludit Hostiensis, quòd bonus iudex examinabit & determinabit inspecta qualitate personarum inferentium uim, & uiolentiæ, seu coactionis, loci & temporis, & assiduitatis minarum, ratificationis expresse uel tacitè, uel continuationis, dissensus, utrum debeat uel non debeat matrimonium iudicari. Ita decidit Hostiensis in titul. de matrimon. §. qualiter impediatur. uer. Suprà dicti loquuntur.

Et huc pertinet, quod dicitur, neminem cogi debere, ut contrahat matrimonium l. Non cogitur. ff. de ritu nuptiarum.

Si autem quis iurauit aliquam determinatam uel non determinatam ducere in uxorem, an ad hoc cogi posset, uide quę habentur & notãtur in c. ex literis. el. 2. de sponsalib. Matrimonia enim debent esse libera

à princi-

à principio tempore sponsaliorum, & quoque ex post facto. Vnde si quis sponte contrahit sponsalia de futuro, & postea compellatur metu ad contrahendum de præsenti tale matrimonium, non ualet.c.requisiuit.de sponsalibus.

Secundò dico, liberam coniunctionem, ad differentiam adiectionis pœnæ, quod non ualet, ut si quis ita contrahat: Promittis quòd mihi nubas, & si non nupseris, promittis nomine pœnæ centum. Et non ualet adiectio pœnæ. Quia matrimonia debent esse libera.c.gemma.de sponsalibus.l.Titia.ff.de uerborum obligationibus. Et hoc habet locum, si ipsi contrahentes, uel eorum parentes, uel tutores, uel cõiuncti, uel amici magna amicitia sic promittunt.d.cap.gemma.& l.Titia. cum ibi notatis per Doctores. Nam in coniunctis & multum amicis eadem est ratio, quæ in patre & matre. gloss.i. in l. mulieri. & Titio. & l.Hæres §. fi. ff.de conditionibus & demonstrat. *Adiectio pœnæ.*

In extraneo autem promittente secus est. Si enim extraneus mihi promisit sub pœna, se facturum & curaturum, quòd Titia contrahat Matrimonium mecum, ualet talis promissio, & potest pœna peti, Matrimonio non secuto.gloss.i. in d. l.Mulieri.& Titio.gloss. Et Doctores in l. final. in uerbo potestas. C. de sponsalibus. Hostiensis in titul. de sponsalibus §. & unde dicatur. Si tamen extraneus facit quantum in eo est, non incurrit pœnam, si Matrimonium non sequitur. Quia difficultas superueniens impedit commissionem pœnæ.l.si uehenda §. Idem iuris.ff.ad l. Rhodiam de iactu.l.2. ferè per totum.ff.si quis cautionibus. Excusat enim difficultas à periurio. cap. breui de Iureiurando. Ergo multo magis à pœna. Et hæc est communis opinio, licet quidam impugnent. *Difficultas excusat à periurio, & impedit commissionem pœnæ.*

Spe præmij tamen & lucri potest quis induci ad Matrimonium, ut si quis leget Titio centum, ut Meuiam, quæ uidua est, uxorem ducat. Hoc casu non tenetur hæres legatum soluere, nisi Titius legatarius ducat Meuiam, uel sufficienter caueat, quòd uelit ducere eam. l. Titio centum §.i. ff.de conditionibus & demonstrationibus.gloss.in d.l.fin.in uerbo, potestas, cum ibi notatis.C.de sponsalib.

Sed etiam in extraneis promittentibus requiritur, quòd promissio fiat bona fide. Si enim fraus intercesserit, non ualeret, ut si contrahentes uel ipsorum parentes subornassent dolo, quòd extraneus sic promitteret, ut eò magis altera pars cogi posset contrahere, aut pœnam soluere. Et tunc non ualeret promissio, secundum Hostiensem, in d.§. & unde dicatur.

Vsque adeò autem matrimonia debent esse libera, quòd si testator in Testamento suo sic leget: Si arbitratu Lucij Titij Seia nupserit, hæres meus illi fundum dato, &c. hæc conditio pro non adiecta habeatur, & debeatur legatum, etiam si nupserit sine arbitratu Lucij Titij. *Conditio pro non adiecta quando habeatur.*

l. cùm tale §. Rescriptum. ff. de conditionibus & demonstrationibus.

Pœnæ tamen legales locum habent, ut amissio dotis, & donationis propter nuptias, si alter sine causa diuertat. l. consensu. C. de repudijs. uel restitutio Arræ in duplo, à parte illius, qui sine causa recusat. d. l. fin. C. de sponsalibus. Et de tota hac materia uide copiose Doctores in d. l. Titia. ff. de uerbor. oblig. in d. l. fi. C. de sponsalibus. & in d. c. Gemma. de sponsalibus.

Arra. Quamuis autem contrahentes, parentes, tutores, coniuncti, & amici inter se non possint stipulari & promittere pœnam; Tamen Arra potest dari, ita ut in continenti tradatur, & non promittatur, nec etiam sit confessata, sed re uera tradita. In hoc tamen casu attendi debet, ne Arra sit maior iusto, quod ex qualitate personarum, & maximè recipientis, qui tenetur reddere duplicatas, colligi potest, secun. Panor. in d. c. gemma. & Doctor. in d. l. Titia.

An autem in contractu matrimoniali locum habeat pignus, Item utrum peti possit Interesse, uide Doctores in d. l. Titia. & d. c. Gemma.

CONIVNCTIO LEGITIMA.

Quintò dico in definitione, Coniunctio legitima, primò ad differentiam concubinatus, fornicationis, stupri, adulterij, & eorum quæ cõtra naturam fiunt.

Concubinatus. Dicitur autem concubinatus, quando uir liber retinet mulierem liberam in domo, cum protestatione, quòd intendat eam retinere pro concubina, alioqui si fuisset uirgo, uel uidua honestè uiuens, teneretur pœna stupri. l. in concubinatu. ff. de concubinis. Et talis concubinatus de iure ciuili licitus erat uiro libero, Vxorato autem non item. ff. & C. per totum. de concubinis. Sed de iure Canonico simpliciter interdictus est. c. Non omnis. 32. q. 2. Quia nulli licet scire mulierem, præter uxorem. Ideoq; coniugij datum est tibi ius, ne in laqueum Diaboli incidas, & cum muliere aliena delinquas. c. nemo. 32. q. 4. Sicuti enim satius est fame mori, quàm idolatricis uesci: Ita sanctius est defungi sine liberis, quàm illicito concubitu stirpem quærere. c. sicuti satius. 32. q. 4.

Fornicatio. Fornicatio dicitur coniunctio duarum liberarum personarum, masculi & fœminæ, ubi mulier non est uxor, nec uirgo, uel uidua honestè uiuens, nec concubina, sed meretrix. Et hæc coniunctio tanquam damnabilis quoq; prohibita est. c. adulterij. 32. q. 7. Quia etiam simplex fornicatio in sacra scriptura prohibetur. c. sic non. 32. q. 2. Et habentur

Meretrices. uerba Augustini in c. Meretrices. 32. q. 2. sic disponentia: Meretrices esse, & ad meretrices accedere, prohibet dominus, quarum publicè uenalis turpitudo est.

In

In Decalogo autem Mœchiæ nomine non uidetur hoc apertè prohibuisse. Quoniam Mœchia non nisi adulteriũ intelligi solet. Sed omnis Mœchia etiam fornicatio dicitur in scripturis. Sed utrum omnis fornicatio, mœchia dici possit, in eisdem scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si omnis fornicatio etiam Mœchia dici non potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt, qui uxores non habent, cum fœminis, quæ uiros non habent, an inuenire possit ignoro. Sed si furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, Sed utique à parte totum intelligere uoluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur: Profectò nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, prohibitus debet intelligi. Et huc pertinent, quæ Paulus dicit: Fornicatores, & adulteri non possidebunt Regnum Dei, &c.

Moyxia.

Furtum.

Stuprum dicitur, quod in uirginem uel uiduam honestè uiuentem cõmittitur. l. inter libera §. Lex Iulia. ff. de adulteriis.

Stuprum.

Adulterium uerò est, quod in nuptam, & alterius uxorem committitur. d. l. liberas. Et hoc de iure ciuili. Quia de iure Canonico etiã adulterium est, si maritus habet rem cum soluta. Et hoc, quo ad diuortium uxore petente, non autem quo ad pœnam adulterij. c. nemo. & c. dicat. 32. q. 4. Et quòd coniunctiones, quæ in stupris & adulteriis fiunt, prohibitæ sint, non est opus disputare. Sunt enim capitales pœnæ propterea in legibus propositæ. ut ff. & C. per totum, de adulteriis. Et dicit Ambrosius Deum esse præsulem & custodem coniugij, qui non patitur alienum thorum pollui, & si quis fecit, quòd peccet in Deum, cuius uiolat legem, & gratiam soluat. d. c. nemo. 32. q. 4.

Adulterium.

De coniunctione autem contra naturã uide in l. cùm uir. C. de adulteriis. & c. adulterij. c. offerebat. c. flagitia. & c. usus. 32. q. 7. c. fraternitati. cum ibi notatis, de eo qui cogno. consanguineam.

Coniunctio cõtra naturam.

CONIVNCTIO LEGITIMA.

Secundõ dico, coniunctio legitima, propter impedimẽta, quibus matrimonia contrahenda impediuntur & dirimuntur.

Sunt autem illa impedimenta duplicia. Quædam enim tantùm impediunt contrahenda, non autẽ dirimunt matrimonia contracta: Quædam uerò impediunt contrahenda, & dirimunt contracta.

Impedimenta matrimonij.

Quæ matrimonia contrahenda impediunt, & non dirimunt, sunt tria: I. Vxoricidium. II. Raptus sponsæ uel uxoris alterius. III. Incestus.

DE VXORICIDIO.

Vxoricidium dicitur, si maritus interficit uxorem. Idem dicendum,

si uxor interficit maritum, tum occidenti non permittuntur secundæ nuptiæ, ut habetur & notatur in cap. i. de diuortijs. cap. admonere. 33. quæstion 2. Idem dic, si maritus insidiatus est uitæ uxoris, uel uxor uitæ uiri, & inde secutum est aliquod homicidium. d. cap. 1. de diuortijs, & ibi Panormitanus. Si tamen interficiens est iuuenis, & continere non potest, admittitur ad alias nuptias. cap. Interfectores. 33. quæstion. 2. Alioqui si non est iuuenis, non conceditur: Si tamen contraxerit, tenet matrimonium, nec dirimitur, secundum gloss approbatam, in d. cap. i. in fin. & ibi Panorm. de diuortijs. Et idem in c. 1. de conuersione infidelium.

DE RAPTV.

RAptus propriè dicitur, quando quis uxorem uel sponsam de præsenti alterius abducit, & uiolat, uel alioqui per uim corrumpit, huic interdicitur matrimonium. Si tamen raptor fuerit iuuenis, nec poterit continere, dispensatur cum eo ut aliam ducat. Idem de rapta, quæ uolens abducta est. cap. in adolescentia. 33. quæstio. 2. Mulieri autem in raptum non consentienti liberum est contrahere. cap. statutum. 27. quæstio. 2. Si autem quis abducit, uel ui corrumpit sponsam alterius de futuro, huic nuptiæ cum alia non sunt interdictæ, sed abductam uel ui oppressam sponsam ducere non debet. Si autem duxerit, tenet matrimonium, secundum gloss. in d. cap. statutum. Libera uerò mulier uel uirgo abducta, uel ui corrupta, potest hodie raptori post pœnitentiam nubere. Quanquam de iure ciuili, & ueterum Canonum, istæ nuptiæ interdictæ erant. Raptor enim & rapta nomina sunt uitiorum, non personarum. Vitia autem cùm per pœnitentiam purgata fuerint, nomina eorum abolentur. c. nullus. 36. q. 2. c. si. de raptorib.

DE INCESTV.

Incestuosi iure Ciuili.

INcestus propriè dicitur consanguineorum, uel affinium proximorum abusus. Vnde incestuosi dicuntur, qui consanguineis & affinibus abutuntur. cap. lex illa. uer. incestus. 36. quæstio. 1. In Iure Ciuili numerantur sequentes personæ pro incestuosis: Primò, coniunctio inter ascendentes & descendentes. l. final. ff. de ritu nuptiarum. Secundò, frater, soror, fratris uel sororis filia, neptis fratris uel sororis, amita, matertera. §. Inter eas. cum duobus §. §. sequentibus. Institu. de nuptijs. Inter affines autem hæ numerantur, utputa cum priuigna, nuru, socru uel nouerca. l. Si adulterium cum incestu. in principio. ff. de

ff.de adulter.§. affinitatis. Institut. de nuptijs. Et illæ ipsæ personæ quoque Leuitici decimooctauo sunt prohibitæ. Sunt autem ibi & aliæ prohibitæ, patruus & eius uxor, fratris uxor, uxoris filia, filia filij uxoris.

Canones præter prædictas, & sequentes inter incestuosas posuerũt, ut uxoris sororem, mariti fratrem, consobrinam, relictam auunculi, filiam auunculi. c. si quis uiduam. c. qui dormierit. c. concubuisti. c. si quis cum nouerca. 32. q. 7. *Incestuosi iure Canonico.*

Sed tamen consobrina, & auunculi filia, computari non possunt inter incestuosas, cùm illarum nuptiæ neq; iure diuino, neque ciuili prohibitæ sint. Imò de iure Ciuili expresse permissæ erant. §. Duorum. Instit. de nuptijs.

Hic autem iam non quæritur, utrum prædictæ personæ inter se possint contrahere matrimonia. Quia de hoc non est dubium, quòd non possint. De hoc autem quæritur, si cum una ex prædictis personis incestus est commissus, utrum incestuoso uel incestuosæ ita sint interdictæ nuptiæ, quòd cogantur toto tempore uitæ seruare continentiam. Et in hac quæstione dic, quòd interdum committitur incestus per duas liberas personas, quarum neutra est in matrimonio. Et regulariter sunt ipsis interdictæ nuptiæ etiam cum alijs personis non prohibitis, propter incestum. Si tamen cum alijs non prohibitis contraxerint, ualet matrimonium. cap. transmissæ, de eo qui cognou. consanguin. uxoris suæ. *Incestus quando impediat matrimonium.*

Quandoque uerò incestus ita committitur, quòd una persona ex delinquentibus contraxit sponsalia uel matrimonium, & post sponsalia uel matrimonium commisit incestum cum consanguinea, uel consanguineo sponsi, sponsæ, uel coniugis. Et hoc casu dic: Si contracta sunt tantùm sponsalia de futuro, & postea sponsus cognouit consanguineam sponsæ, uel econtra, & soluuntur sponsalia, ut, si quis contraxit cum uirgine per uerba de futuro, & postea haberet trem cum matre uirginis, eo tempore, cùm sponsa adhuc esset uirgo: Tum neutram poterit habere. Matrem ideò non habebit, quõd cum filia per sponsalia de futuro contracta erat publicæ honestatis iustitia. cap. duo pueri. de desponsatione impuberum. Cum filia uerò matrimonium ideò contrahere non potest, quòd sponsalia de futuro nihil aliud sunt, quàm futurarum nuptiarum promissio. c. nostrates. 30. quæstion. 5. Sed post affinitatem superuenientem, non potest adimpleri illa promissio. Filia enim facta est affinis sponsi sui, propter concubitum matris. Et inter affines non potest consistere matrimonium. cap. non debet. de consanguin. & affinita. Et propter talem incestum tam incestuoso, quàm incestuosæ interdictæ sunt nuptiæ, etiam cum alijs personis non prohibitis. Si tamen incestuosi sunt Iuuenes, *Sponsalia de futuro.*

& timetur de lapſu carnis, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut cum alijs non prohibitis perſonis contrahant. cap. ueniens. & cap. ex literis. de eo qui cognouit. Tamen ſi contraheret ſine diſpenſatione, ualeret matrimonium, ſecundum gloſſ. in d. c. ueniens. in uerbo, ex diſpenſatione.

Si autem ſponſam de futuro, primùm cognoſceret, & poſtea matrẽ ſponſæ, retineret ſponſam. Nam per copulam ſubſecutam, ſponſalia de futuro tranſeunt in matrimonium. c. is qui. de ſponſalibus. Et ſic per concubitum matris non præcederet, ſed ſuperueniret affinitas poſt matrimonium conſummatum. Regula autem eſt, quòd affinitas ſuperueniens, matrimonium iam conſummatum non dirimit. c. diſcretionem. cum ſimilibus. de eo qui cogno.

Affinitas ſuperueniens matrimonio conſummato.

Et hæc quoque procedunt, ut ſi quis cum puella contraxit ſponſalia de præſenti, & poſtea cognouerit eius conſanguineam, ad ſponſæ inſtantiam, ſi monita deſiſtere noluerit, ſpõſus ei cohabitare tenetur, Cùm affinitas poſt matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non exiſtit. d. c. diſcretionem. c. tuæ. & c. fi. de eo qui cogno.

Si autem quis primõ matrem uel conſanguineam ſponſæ de futuro, deinde ipſam ſponſam cognouerit, imponitur uiro pœnitentia, & ſeparatur ab uxore. Quia matrimonium propter inceſtum, qui conſummationem matrimonij præceſsit, ualere non potuit, & interdicuntur ipſi uiro & matri aliæ nuptiæ. Et ſi ipſa uxor nouerit matris & mariti delictum, & tamen non erubuit commiſceri, et ipſa quoque ducat cœlibem uitam. Si tamen de lapſu carnis timeatur, ex diſpenſatione ad alias nuptias conuolare poterunt. c. ex literis. iuncta gloſſ. in uerbo, de lapſu, de eo qui cognouit.

Et ea quæ iam de ſeparatione mariti & uxoris propter inceſtum præcedentem diximus, uera ſunt, ſi conſtat inceſtum præceſsiſſe. Si autem non conſtat, ut quia mater negat ſe à genero eſſe cognitam, nec etiam probari poteſt, & tum ſeparari non debent. Si autem maritus Sacerdoti inceſtum confeſſus fuerit, & conſilium quæſiuerit, imponenda eſt confitenti pœnitentia, & admonendus, ut propter inceſtum abſtineat ab uxore. cap. Veniens. el. 2. de eo qui cognouit. Si autem in Iudicio Eccleſiaſtico, ubi inceſtus probari non poterat, ad inſtantiam uxoris iuſſus fuerit, ut reddat debitum, uel excommunicationem patiatur, Sicuti Eccleſia tenetur pronunciare impedimento non probato: Suſtineat potius excommunicationem, quàm quòd ueniat contra conſcientiam, reddendo debitum, cùm ſciat ſe conſanguineam uxoris ante Matrimonium conſummatum cognouiſſe. cap. inquiſitioni. de ſententia excommunicationis. capit. Literas. de Reſtitutione ſpoliatorum. gloſſ. in dict. cap. Veniens. el. ſecund. in

uerbo,

uerbo, consulas. de eo qui cognouit. Hæc autem omnia procedunt, si quis scienter incestum committit. c. i. cum ibi notatis. de eo qui duxit. c. in lectum. 34. q. fi.

Quæ autem diximus de affinitate impediente matrimonium contrahendum, extendi possunt ad extraordinariam pollutionem, quæ affectu maritali fit, ut si quis contraxit sponsalia de futuro cum puella septem annorum, & eandem extraordinaria libidine affectu maritali polluit, Quia propter ætatem non erat idonea ad uiriles amplexus, & postea duxerat eius sororem, nõ ualet matrimonium, sed separandi sunt. c. fraternitatis. de eo qui cognouit.

Sed in his casibus non statur confessionibus partium, neque propter ipsarum assertiones de affinitate præcedente fit separatio. Imò ipsarum confessiones cum rumore uiciniæ non sufficiunt, sed requiritur quòd sit notorium, uel quòd rationabiles & fide dignæ probationes accedãt, per text. in cap. de illo. & cap. super eod. de eo qui cognouit. Et dicit Panormitanus in d. cap. de illo. Nota quòd copula potest esse notoria, si publicè tenebat istam mulierem, quæ est consanguinea sponsæ uel uxoris. arg. l. si uicinis. C. de nuptijs.

Iura Canonica habent etiam alias causas, matrimonium contrahendum impedientes, non autem dirimentes contractum, quando superueniunt. Primõ, cognatio spiritualis. c. si uir. de cognatione spirituali. Secundò, si quis presbyterum interfecit. c. 2. de pœniten. & remissio. Tertiò, si quis duxerit Monialem. c. hi ergo. 27. q. 1. quos casus ibi poteris uidere. Et tantum de his, quæ impediunt matrimonium contrahendum, non autem dirimunt contractum.

Impedimenta matrimonij de iure canonico.

Cognatio spiritualis.

Nunc dicemus de Impedimentis quæ impediunt contrahendum, & dirimunt contractum.

DE HIS QVAE IMPEDIVNT MATRIMONIUM contrahendum, & dirimunt contractum.

Sunt autem decem causæ, quæ impediunt matrimonia contrahenda, & dirimunt iam contracta, scilicet:

I. Error. II. Violentia. III. Furor. IIII. Crimen. V. Ligamen. VI. Disparitas Religionis. VII. Impotentia coëundi. VIII. Cognatio. IX. Affinitas. X. Honestas.

De errore, uiolentia, & furore diximus suprà, in uerbo, consentiens, & in uerbo, & libera. Nunc de alijs dicemus, & primùm de crimine.

DE CRIMINE, QVARTO impedimento.

Crimen

Crimen in his terminis uocamus, quando quis ducit eam, quam polluit per adulterium, ut per totum, de eo qui duxit, quam per adulterium polluit.

Et in hac causa tria sunt principaliter consideranda, scilicet: Adulterium, Contractus, & Machinatio in mortem coniugis.

Nunc ergò quæritur secundum Panormit. in d. c. i. de eo qui duxit, &c. An quodlibet istorum per se sufficiat ad impediendum & dirimendum matrimonium, An uerò requiratur concursus omnium, uel saltem duorum. Et hoc nunc examinabimus ordine. Et primò dicemus de adulterio.

DE ADVLTERIO.

ADulterium solum sine contractu uel machinatione non est sufficiens causa impediendi & dirimendi matrimonij inter adulterum & adulteram. Quare si uir, siue sit solutus, siue coniugatus, cum uxore alterius committit adulterium, nec uiuente marito suo dat fidem de contrahendo matrimonio post obitum mariti, nec etiam de facto uiuente marito adulteræ Matrimonium cum ea contrahit, nec etiam fit machinatio in mortem mariti cuius uxor polluitur: Et possunt adulter & adultera marito mortuo matrimonium contrahere. Idem dic de muliere, siue sit soluta, siue coniugata, quæ adulterium committit cum Marito alterius. c. super hoc. c. significasti. de eo qui duxit in matrimonium quam per adulterium polluit. c. si quis uiuente. 31. quæstio. 1. Et tantum de Adulterio.

DE CONTRACTV.

SOlus contractus quoque non est sufficiens causa impediendi & dirimendi matrimonij, si adulterium uel machinatio in mortem coniugis non accessit. Ideò si uir uel mulier contrahit cum coniuge alterius in ipsius uita, utputa promittendo, quòd post coniugis mortem cum eo uelit contrahere matrimonium, uel contrahit de facto, & non sequitur in uita alterius Coniugis adulterium, nec Machinatio, Solus contractus non impedit, quin coniuge mortuo inter istos contrahentes possit esse Matrimonium, per text. in cap. final. de eo qui duxit.

Et si solutus uel soluta hoc modo contraxerit cum coniugata, uel coniugato, ignorans esse coniugatum, uel coniugatam, poterit agere, si uult, post mortem alterius coniugis, ut Matrimonium consummetur. Quia non est dignum, ut maritus contra Canones scienter cum soluta contrahens lucrum de suo dolo reportet. cap. i. & cap. ueniens,

ueniens.de eo qui duxit.Alioqui consensus prima uiuente habitus,nullus est. Et de nouo ea mortua contrahitur.d.c.ueniens. Ideò si maritus in uita uxoris suæ cum alia contrahens, post mortem primæ,antequàm secundam carnaliter cognoscat,duxerit tertiam, manebit apud tertiam,licet post contractum cum tertia secundam cognoscat.Nullus enim fuit consensus habitus cum secunda, prima uiuente. d. cap. ueniens.Igitur matrimonium post mortem primæ,cum tertia contractum, est ualidum, arg. c. cum Apostolica.de sponsalibus. Vide Hostiens.in tit.de eo qui duxit.§.ad notitiam.uer.Sed quid si mortua.Panor.in c.fi. eo.

Si autem uiuente prima, cum multis contraxit, nullam tamen in uita prioris cognouit, & tum locus est gratificationi. Eam autem, quam prima mortua primùm cognouit, uel in quam primùm consensit,retinebit,præsertim si illa prioris matrimonij, tempore contractus fuit inscia,secundum Hostiensem in titul.de eo qui duxit.& §. ad notitiam.uer.quid si contrahit.Maritus tamen,qui in uita uxoris cum alia cõtrahit,infamis est.l.i.in fin. ff.de sponsalibus.l.cum qui duas.C.de adulterijs.

DE ADVLTERIO ET CONtractu simul.

ADulterium & Contractus simul iuncta impediunt matrimonium contrahendum,& dirimunt contractum,hoc est,si maritus in uita uxoris suæ contrahit cum alia,& eam cognoscit carnaliter,tum prima mortua secundam habere non potest. In hac tamen quæstione distingue: Aut persona,quæ contrahit cum coniuge alterius,ignorat illum esse coniugem,sed putat solutum.Et dic: aut illa ignorantia durat usque ad mortem uxoris illius coniugis, & ea mortua poterit esse coniugium inter eos. Igitur ad petitionem mulieris,quæ erat in bona fide,tempore contractus & copulæ,si non petit diuortium, maritus cogitur cohabitare.Nec enim dignum est,ut prædictus uir,qui scienter contra Canones uenerat,lucrum de suo dolo reportet.capit.primo,cum ibi notatis. de eo qui duxit.

Aut fuit certiorata de uita primæ coniugis, & tamen permisit se cognosci ab illo marito, & prima mortua eam retinere non poterit. cap. final. de eo qui duxit. cap. cùm per belli causam. & cap. si uirgo.34 quæstion. 2. Et hoc casu non distinguitur, siue sit contractus per uerba de præsenti, uel de futuro: nec etiam attenditur, pactio sequatur,uel præcedat adulterium. Semper enim coniunctio utriusque,scilicet adulterij & pactionis, impediunt & dirimunt.per text. expressum in d.c.fi.de eo qui duxit. Vbi dicit tex, Cæterum tolerari non debet,

debet,ſi prius,uel poſtea,dum uixerit uxor ipſius, illam adulterio polluiſſet.

Quod autem ſuprà diximus, ualere in hac coniunctione etiam matrimonium,ſi mulier uſq; ad mortem prioris coniugis ignorauerit eius uitam.

Non eſt intelligendum,quòd hoc matrimonium uirtute primi contractus ualuerit. Quia is nullus eſt, ſed poſt mortem primæ, tacitè uel expreſſe ratificari poteſt, & tum ualet. Ideò ſi maritus etiam hoc caſu poſt mortem primæ ſecundam non cognouerit, nec ratificauerit,ſed tertiam duxerit,ualet ille tertius contractus,ſecundum gloſſ.& Doctores in c.i.in uerbo niſi mulier,de eo qui duxit.Nam Matrimonium non poteſt claudicare, quòd teneat à parte unius tantùm. c.tua.de ſponſalibus.

DE MACHINATIONE IN mortem coniugis.

QVando quæritur,utrum machinatio in mortem coniugis impediat & dirimat matrimonium, & dic: Aut machinatio fit ſtudioſe in illum finem,ut prima mortua ducatur ſecunda. Aut uerò non fit ſtudioſe in finem contrahendi aliud Matrimonium, ſed alia de cauſa,puta in guerra,uel bello,uel aliàs,caſu,uel odio quis interfecit Maritum alicuius mulieris.

Primo caſu, quando ſcilicet machinatio fit intentione contrahendi aliud matrimonium,& dic: Aut machinatio non fuit cum effectu,utputa quòd mors coniugis non eſt ſecuta.Et ualet matrimonium inter contrahentes poſt mortem prioris coniugis. Quia uerba ſunt cum effectu accipienda. c.relatum.cum ibi notatis,de clericis non reſidentibus. Et ita decidunt glo.in d.c.Si quis uiuente, in uerbo occidiſſe. 31. q.1.gl.in c.ſuper hoc.in uerbo machinata.Et ibi Panor.de eo qui duxit.glo.in c. i.in uerbo procurauerint.de conuerſione infidelium.

Aut machinatio fuit cum effectu, ut quia mors coniugis ſecuta,& ſub diſtingue: Aut uterq; contrahentium eſt particeps machinationis, & poſt mortē primæ inter eos non poterit eſſe matrimonium.Aut altera pars non eſt particeps machinationis,& hæc machinatio mariti tantùm eſt cauſa impediendi matrimonij,ne contrahatur, ſed non dirimit contractum. Ita decidit Panormit.in d.c. i.de eo qui duxit.per text.ibi & d.c.ſuper hoc. eod. & d. c. ſi quis uiuente. & in d.c.i.de conuerſione infidelium.Sed hoc uerum,ſi non eſt ſecutum adulterium. Machinatio enim unius partis tantùm, unà cum adulterio, eſt ſufficiens cauſa ad matrimonium contrahendū impediendū, & ad contractum diſſoluendum,per text expreſſum,in c.ſignificaſti. & ibi Innocen. & Panormit.

de

de eo qui duxit. Si autem quis mortem coniugis sine sua culpa secutam habuit ratam, non officit ratihabitio, si non precepit, nec procurauit, per ea quæ notat glossa, & Doctores in dict. cap. 1. de conuersione infidelium.

Secundo casu, quando scilicet machinatio facta est, non intentione contrahendi, sed alia de causa, ut in bello, rixa, casu, uel odio, dic quòd illa matrimonium contrahendum non impedit, nec contractum dirimit. Igitur si quis in rixa, uel casu maritum alicuius mulieris occiderit, eo mortuo poterit eius relictam ducere, si relicta non fuit particeps homicidij, per textum in d. c. 1. de conuersione infidelium; & quæ ibi notantur.

Quæ autem diximus de matrimonio dirimendo, propter machinationem utriusque, uel si adulterium ad machinationem alterius partis tantùm accessit: Tu intellige quòd procedat, si constat quòd matrimonium inter coniugem superstitem & mortuum tenebat de Iure. Quia si nõ tenuisset propter aliquod impedimentum, machinatio qualiscunque esset, non noceret, cap. 2. cum ibi notatis, de eo qui duxit &c. cap. cum in Apostolica. de sponsalibus. Nam in matrimonijs regulariter non constat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum. cap. si uerum. 31. quæstio. 2. c. non præstat. de regulis Iuris, in sexto. Vide tamen quæ habentur & notantur in c. unico. de sponsalibus, in 6.

QVINTVM IMPEDIMENTVM MATRIMONIUM contrahendum impediens, & contractum dirimens, est Ligamen.

LIgamen uocamus hoc casu, præsens matrimonium, quod inter maritum & uxorem, qui ambo in uita sunt, consistit. Nam illi coniuges uiuentes sic ligati sunt, quòd uir aliam mulierem, & mulier alium uirum superinducere non possunt, Et si superinduxerint, matrimonium nullum est, de Iure Naturali, Diuino, Ciuili, & Canonico.

Prohibitio iuris Naturalis inde colligitur, quòd Deus creauit unum masculum, & unam fœminam, non plures fœminas. Et huc accedit, quòd Deus, cùm genus humanum deleret, & tamen seminaria conseruare uellet, iussit, ut Noe in Arcam assumeret homines, & bestias mundas & immundas, & apparet, quòd etiam in bestijs eiusdem speciei assumptæ sint in Arcam binæ & binæ, non unus masculus & plures fœmellæ, Gene. 7.

Prohibitio iuris Diuini est clara, quia in institutione & confirmatione matrimonij Deus dixit: Propter hoc relinquet homo patrem

& matrem, & adhærebit uxori ſuæ, Et erunt duo in carne una. non dixit, tres, uel plures: ſed duo. nec dixit, adhærebit uxoribus: ſed uxori &c. Geneſis ſecundo. ca. gaudemus. de diuortijs. Et Paulus dicit: Vir poteſtatem corporis ſui non habet, ſed mulier, & econtra.

Iuris ciuilis prohibitio eſt clara, per textum in §. affinitatis. & §. ſocrum. Inſtitut. de nuptijs. Et Ius ciuile ſtatuit eum eſſe infamem, qui in uita uxoris aliam ducit. l. 1. in fi. ff. de his qui notantur infamia. & conſtitutiones Imperiales puniunt pœna adulterij eum, qui plures ducit uxores.

Prohibitio iuris Canonici habetur in c. gaudemus. de diuortijs. & in c. Nuptiæ. 32 q. 1.

Polygamia nunquam permiſſa de iure ſcripto.

Quòd autem in ueteri Teſtamento multi ſanctiſimul plures habuerunt uxores, fuit ex conſuetudine illius temporis, quam Deus tolerauit, ſed de iure ſcripto polygamia nunquam fuit permiſſa.

Sed illa ſecunda uxor non tenetur uirum relinquere, niſi de priori coniugio manifeſtè & per liquidas probationes conſtet. Quare etiamſi uir in iudicio confiteatur, ſe aliam habere in uxorem, quam fortè uenire fecit, & ipſa idem confiteatur, tamen iſtiuſmodi confeſsiones ſine alijs probationibus non præiudicant ſecundę uxori. Quia non debet credi confeſsioni in proprio facto. c. 1. 14. quæſtion. 2. in principio. c. ſuper eo de eo qui cognouit conſanguineam uxoris ſuæ. Quare niſi primum matrimonium bene probetur alijs modis, ſecunda uxor non tenetur uirum relinquere. Et lite pendente ſecunda uxor licitè petit debitum à uiro. ca. laudabilem. ut lite pendente. Ipſe tamen uir, qui habet ſcientiam primi matrimonij, non debet exigere uel petere debitum, ſed potius excommunicationem pati. cap. Literas. de reſtitutione ſpoliatorum. Vide Panormitanum in c. ueniens. de eo qui duxit.

DE SEXTO IMPEDIMENTO, ſcilicet de diſparitate Religionis.

HOc membrum per ſe eſt facile, nec requiruntur diſtinctiones. Quia manifeſtum eſt, quòd Chriſtianus tenetur ducere uxorem, quæ eſt eiuſdem religionis. Iudæam autem, ſiue gentilem dncere non poteſt, & econtra, & ſi duxerit, ſeparandi ſunt. cap. Iudæi. & cap. Caue. 28. quæſt. 1. Si autem Iudæus & Iudæa, ſiue duo gentiles cohabitant, & unus conuertitur ad fidem, altero in infidelitate perſeuerante, An poſſint poſtea cohabitare, Item an & quando ſint ſeparandi, dicemus infrà de diuortijs.

DE

DE SEPTIMO IMPEDIMENTO,
ſcilicet de impotentia coëundi.

IMpotentia eſt uitium animi, uel corporis, uel utriuſque, quo quis impeditur alij carnaliter commiſceri, ſecundum Hoſtienſem in titul. de frigid. & maleficiatis. uer. quid ſit. Et eſt duplex, Naturalis & Accidentalis.

Naturalis dicitur, quæ ex naturæ diſpoſitione, ſine facto hominis prouenit. Et ſubdiuiditur in Temporalem & Perpetuam. *Impotentia naturalis temporalis.*

Temporalis impotentia ex natura proueniens iterum ſubdiuiditur. Quædam enim impotentia eſt ab initio quidem, ſed tractu temporis naturaliter deſinit eſſe. Quædam uerò impotentia ab initio non eſt, ſed tractu temporis naturaliter oritur.

Impotentia naturalis temporalis ab initio exiſtens, & cum tempore naturaliter deſinens, eſt in hominibus impuberibus, ut in maſculo ante decimumquartum annum, & in fœmina ante duodecimum annum, & hæc impotentia impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. c. ubi. de deſponſatione impuberum, niſi malitia, hoc eſt, uigor naturalis ſuppleat ætatem. c. de illis eo. de deſponſatio. impube. *Impuberes.*

Si tamen maſculus poſt annum decimumquartum adhuc eſt impotens, & contraxerit, matrimonium propter hoc non debet dirimi, ſed triennium expectari, ut ſcilicet impleat annum decimumoctauum. Nec autem etiam hoc caſu temerè matrimonium occaſione impotentiæ dirimi debet, ſed iudex poterit inſpectis perſonarum qualitatibus, longius tempus concedere, priuſquàm dirimat. Et quoque attendere poterit tempus quandiu cohabitauerint, per ea quæ habentur & notantur in c. fi. de frigid. & malefi. Et in c. puberes. de deſponſat. impub.

Impotentia naturalis temporalis, quæ ab initio non eſt, ſed tractu temporis oritur, eſt in ſenibus, qui propter defectum caloris fiunt impotentes. Et illa nec impedit matrimonium contrahendum, nec dirimit contractum. Nam licet Lex Papia olim conſtituerit, quòd maſculus maior ſexagenario, non contrahat cum fœmina maiore uel minore quinquagenaria, Et econtra, maior quinquagenaria, non contrahat cum maiore uel minore ſexagenario: Tamen hoc eſt ſublatum, & ſenibus libera contrahendi facultas permiſſa, per textum in l. Sancimus. Cod. de nuptijs. Nemo enim adeò ſenex eſt, quin aliquando natura uel artificio calere poſsit. Et dicitur, quòd in ſenibus matrimonium ſit legis obſequium, & humanitatis ſolatium. cap. nuptiarum. cum gloſſ. ibid. in uerbo, quibuſdam. 27. quæſtion. 1. gloſſ. *Senes.*

in c. quod ſedem. in uerbo Impotentes. de frigidis & male. Et tantum de Impotentia naturali temporali.

Impotentia naturalis perpetua.

Perpetua naturalis Impotentia, dicitur defectus naturæ, propter quem quis impeditur, quòd alij non poſsit commiſceri. Et dicuntur caſtrati, quaſi caſtè nati, ſecundum gloſſam in l. Spadon. ff. de uerborum ſignificatione. Et eſt quoque duplex, Maſculina & Fœminina.

Impotentia Maſculina oritur ex quinque cauſis:

I. Propter defectum lanceæ.
II. Propter nimiam magnitudinem membri.
III. Propter nimiam carnoſitatem in membro.
IIII. Propter nimiam ſiccitatem.
V. Propter nimiam frigiditatem.

Primò, quod attinet ad defectum membri, non eſt dubium, quin hoc naturaliter ſæpe accidat. Dicit enim Hoſtienſis in titul. de frigidis & maleficiatis. §. qualiter. uer. quid ſi mulier. de frigid. ſe expertum eſſe in duabus cauſis de facto, in quibus fecerit inſpici uirum, ne dum per laicos, ſed etiam per clericos, & inuentum eſt in una, quòd uir habebat membrum ad modum uerrucæ, & ita quòd uix mingere poterat, & teſtes erant ad modum cicerum, ita quòd uix diligenter palpando poterant reperiri. In alia cauſa habebat uir teſtes ſupra uirgam, & ipſam uirgam adeò ineptam, quòd uidebatur monſtrum, & inſuper omnino imberbis erat. Igitur ſi mulier conqueritur, & dicit quòd uir eam cognoſcere non poſsit, & tales uel ſimiles defectus allegat: Hoc caſu dic, uirũ inſpiciendum eſſe per homines expertos & honeſtos. Quia non melius, quàm oculata fide poterit hoc probari. Et ſi in inſpectione res ſic fuerit comperta, ſtatim ſine ulla dilatione fiat ſeparatio. Quia per hoc impotentia fit notoria, nec requiritur alia probatio. Et fruſtra expectatur euentus, cuius nullus induceretur effectus, ut notatur per gloſſ. in c. laudabilem. in uerbo prius. & ibi Panormita. in ſummario, & primo notabili, de frigi. & malefi.

Secundò, quod ad magnitudinem membri attinet, dicit Hoſtienſis in d. §. qualiter. uer. quid ſi mulier, his uerbis: Quid ſi mulier allegat magnitudinem membri, dicens, quòd non poteſt ipſum tolerare? dixerunt aliqui ipſam audiendam, ſi ſit inæqualitas innaturalis, conſiderata diſpoſitione aliorum membrorum. Et dicit Auicenna, quòd mulier quandoque non eſt anguſta, ſed non conuenit ei ſuus par, & ipſa iterum non conuenit pari, & indiget unuſquiſq; eorum permutatione. Et addit ſe audiuiſſe à muliere experta, quòd hoc uix aut nũquàm accidere poſsit. Dicunt aliqui hoc relinquendum eſſe iudicio expertarum. Hoſtienſis uerò putat, & ſi caſus occurreret, Pontificem conſuli debere,

debère. Vide c.fraternitatis.ibi. cuius consimili commiscetur. iuncta gloss.in uerbo,simili. Et quæ notant Doctores de frigid.& maleficiatis.

Tertiò,de nimia carnositate membri,Hostiensis in præallegato loco sic scribit: Quid si uir habeat membrum nimis carnosum? audiui ab expertis,quòd hæc potest esse iusta causa separandi. Nam & infirmitas, quæ Elephantia uocatur,posset dare occasionem, quæ reddit etiam nasum grossum,& dicit se de facto expertum esse.uide d.cap.fraternitatis. ibi,cuius consimili commiscetur.de frigid.& maleficia. Et ideò concludunt his casibus,quòd potest fieri separatio.

Sed iam quæritur,si mulier propter magnitudinem,uel nimiam carnositatem membri,non potuit deflorari ab illo,cum quo prius contraxit, Ideò postea alij, qui sui similis erat,nupsit,& per frequentem usum istius secundi mariti,reddita est apta primo, utrum debeat restitui primo.Hostiensis in loco præallegato,& Innocent. in cap. fraternitatis. decidunt,quòd sic,per multas rationes. Tu uide Panorm. in d.c.fraternitatis.

Restant ergo nunc duæ posteriores causæ, scilicet nimia frigiditas, uel siccitas uiri. Et quia illæ non sunt in oculari demonstratione, nec possunt esse ita notoriæ,sicuti superiores, tu hoc modo distingue: Aut mulier petit separationem propter impotentiam naturalem uiri. Vir autem negat se impotentem,& hoc casu creditur uiro pro matrimonio cõfitenti.c.i. §. illa.de frigid.& maleficiatis. Igitur, si mulier in petitione separationis perseuerat,cogitur impotentiam per rectum iudicium probare. In hoc tamen casu dic: Aut mulier statim in ipsa nouitate post mẽsem aut duos ad Episcopum,aut eius missum proclamauerit,dicẽs: Volo esse mater,uolo filios procreare,& ideò maritum accepi,sed uir, quẽ accepi,frigidæ naturæ est,& non potest illa facere, propter quæ illum accepi:tum si hoc per rectum iudicium probari potest,fit separatio, & potest mulier alij nubere.d.c.i. §. fin.de frigidis & maleficiatis. Illa autem probatio, secundum Panormitanum ibi. fit probando signa quædam impotentiæ,cum Iuramento coniugum,& propinquorum, uel his deficientibus uicinorum.

Frigiditas & siccitas uiri.

Signa autem impotentiæ probantur per aspectum corporum ipsius uiri & mulieris, ut scilicet ex inspectione membri uirilis colligatur aliqua præsumptio Impotentiæ. Et quando matronæ honestæ & peritæ,inspiciunt mulierem,& iudicant eam uirginem esse, tum si mulier iurat,quòd nunquam uiderit ipsum moueri,nec uirgam erigi, licet omnem diligentiam adhibuerit, ut opus carnale sequeretur, quodq; cum ea coire non potuerit,& septem propinqui, uel his deficientibus totidem uicini,bonæ famæ,cognitionem habentes conuersationis personarum,similiter iurent,se credere, quòd mulier uerum iurasset, tunc

poteſt fieri ſtatim ſeparatio, nec expectatur triennium. d. c. 1. in fin. Ratio autem, quare ſoli depoſitioni mulierum inſpicientium non creditur, hæc eſt, quòd manus & oculus obſtetricum ſæpe fallitur. cap. nec aliqua. 27. quæſtion. 1. Igitur in cauſa tam ardua alia probatio quoque additur. Si autem mulier tempore contractus matrimonialis fuit uirgo, uel habita pro uirgine, & tempore inſpectionis, deprehendatur corrupta, & tunc ſi non reperitur defectus ex parte uiri: & mulier nullo tempore, uiro contradicente, ſeparationem petere poteſt. d. cap. 1. §. illa. Non enim audiretur, ſi allegaret ſe non ab illo uiro, ſed ab alio corruptam eſſe. Quia non crederetur ei, propterea quòd propriam turpitudinem allegaret. cap. inter dilectas. de donationibus.

Si autem mulier tempore contractus matrimonialis non fuit uirgo, nec habita pro uirgine, ſed uidua, uel aliàs ante contractum corrupta, & petit ſeparationem propter impotentiam naturalem uiri, qui hoc negat, nec ex inſpectione uiri defectus deprehendi poteſt: & datur triennium ad cohabitandum, infra quod copulæ carnali ſtudere debent, & bona fide det uterque operam cum omni diligentia, ad debitum carnale hinc inde reddendum, uir in perficiendo, mulier in patiendo, ita quōd neuter aliquam fraudem adhibeat, nec per ipſum ſtet, quò minus carnalis copula ſubſequatur. Et ſi ſic poſt continuum triennium ſimul cohabitauerunt, & in capite triennij ueniant iterum ad Epiſcopum, dicentes & iurantes, quòd ſicut promiſerant, fecerunt, nec potuerunt effici una caro. Et tunc Iudex ex officio quàm diligentiſsimè inquirere debet, utrum uir aliquam mulierem cognouerit, & quoque de qualitatibus perſonarum & fama inueſtigare, quōd ſi in inquiſitione nihil deprehendere potuerit, quod faciat præſumptionem pro potentia uiri, & tunc recepto ipſorum iuramento, & propinquorum ſiue uicinorum, de quo ſuprà, fit ſeparatio, & permittuntur mulieri aliæ nuptiæ. Quod autem diximus de diligentia copulæ per continuum triennium, non debet intelligi, ut continuè fiat die ac nocte, ſed ſufficit, quòd fiat per maiorem partem anni, maximè tempore ueris, quo conſueuerunt homines ad opera carnalia incitari. Si autem una partium, infirmitate uel alio caſu impediatur, ita quòd per triennium continuum diligentiam non poſſunt adhibere, uidetur illud tempus reſtituendum eſſe. Argument. l. prim. §. ſi quis propter inundationem. ff. de itiner. actūque priua. Si autem ſtet per maritum, Quia non uult cohabitare, & copulæ carnali ſtudere, uel per mulierem, dicas excommunicandum eum, per quem ſtabit, & cautionem idóneam exigendam, ut cohabitet. Vide Hoſtienſ. in d. §. qualiter confitebuntur.

Idem dic de ea, quæ tempore contractus fuit uirgo, uel habita

pro

pro uirgine ; & tamen ſtatim in ipſa nouitate poſt menſem aut duos non proclamauit. Quia & hoc caſu requiritur cohabitatio triennalis,ad experientiam copulæ coniugalis.Concurrũt enim hoc caſu duæ præſumptiones contra mulierem. Prima eſt,quia tardè proclamauit : Secunda,quia uir dicit ſe eam cognouiſſe. Ideò cohabitent per triennium,& ſtudeant copulæ. Triennio uerò elapſo , ſi mulier perſeuerat & probat per ſigna , hoc eſt, inſpectionem , Quia adhuc reperitur uirgo , & iurat cum ſeptem propinquis uel uicinis : fit ſeparatio. d. cap. 1. §. illa. & cap. laudabilem. & ibi Panormitanus de frigidis & maleficiatis. Si autem poſt triennium deprehenderetur corrupta, non crederetur ei,ſi allegaret,ſe ab alio , quàm à uiro corruptam eſſe, quia allegaret propriam turpitudinem,ut ſuprà diximus. Et tantum de illo mẽbro,quãdo mulier petit ſeparationem propter impotentiam uiri,& uir negat eam.

Quid autem è contrario, ſi uir aſſerit ſe eſſe frigidum, & petit ſeparationem,mulier autem negat,& dicit ſe ab eo cognitam ? Et dic,quòd ſtatur uerbo mulieris , niſi uir eam conuincat per aſpectum , ut puta, quòd deprehenditur uirgo, Quia uix inuenietur aliqua, quæ hoc aſſereret,niſi uerum eſſet,cùm ſciret ſibi præiudicium generari,cùm tales ſoleant colaphizari ſtimulis Satanæ. cap. Iordane. de eo qui cognouit conſanguineam. Item quia cùm rea ſit,abſolui debet,etſi nihil præſtiterit. l. qui accuſare. C. de eden.

Multi enim uiri incurrerent periurium , ut impetrent ſeparationem ab uxoribus,ſi ipſis contra matrimonium confitentibus crederetur. c. ſuper eo. de eo qui cogno.

Et hoc caſu nullum uertitur periculum. A parte mulieris ideò,quòd uolenti non fit iniuria. A parte uiri ideò,quia ſi impotens eſt, non habet opus petere ſeparationem. Quia cum alia contrahere non poteſt. Si uerò potens eſt,poterit uxori quoq; potenti cohabitare,debitum petere & reddere.

Quid autem , ſi uir dicit ſe eſſe naturaliter impotentem , & mulier idem fatetur , & ſic ſunt concordes ? Et dic, quòd ipſorum confeſsioni in præiudicium Eccleſiæ non creditur . Quare ſi illæ confeſsiones fiunt ſtatim poſt aliquot Menſes , & probata fuerit impotentia per iuſtum iudicium, hoc eſt, per ſigna , ut quia mulier deprehenditur uirgo,& poſtea accedunt utriuſque coniugis Iuramenta, unà cum uicinis & propinquis,ut ſuprà diximus , & ſtatim,non expectato triennio,fit ſeparatio. Si autem ſigna non apparent, ut quia mulier fuit uidua , & in uiro quoque non extat defectus uiſibilis , & expectatur triennium. cap. primo, cum ibi notatis. Huc refer omnia,quæ diximus ſuprà. Si mulier dicit , uirum impotentem , & ipſe negauerit.

Quia uiri confeſsio non multum hic operatur. d. c. ſuper eo. de eo qui cognouit. Et tantum de impotentia naturali maſculina.

DE IMPOTENTIA NAturali fœminina.

NAturalis impotentia fœminina, eſt defectus in muliere, propter quem naturaliter non poteſt eſſe apta ad uiriles amplexus.

Et prouenit ex duabus cauſis: Primò, ſi nullum habet inſtrumentum. Secundò, ſi habet quidem, ſed eſt nimis arctum, ita quòd cognoſci non poteſt, ut habetur & notatur in c. fraternitatis. & c. ex literis. eod.

Et in his terminis ponit Hoſtienſis in præallegato §. qualiter. uer. ſi uerò, talem proceſſum: Si maritus petit ſeparationem, propter impotentiam naturalem perpetuam uxoris, uocabuntur matronæ fide dignæ & expertæ in opere nuptiali, arg. l. i. uer. ſi igitur. ff. de uentre inſpiciendo. Et ſub periculo animarum, & fide ſua, & ſic mediante iuramento dicant, quid poſt inſpectionem ſentiant. Quia iuramentum iſtis teſtibus non eſt remittendum, ne aliquid in fraudem matrimonij dicant. ſecundum gloſſ. cum ibi notatis, in c. fraternitatis. in uerbo diſtrictè. eo. Et ſi mediante illo iuramento dixerint eam eſſe corruptam, non auditur maritus, qui ſeparationem propter impotentiam naturalem poſtulat. Idem, ſi dicunt, quòd habeat membrum, & ſatis aptum ad matrimonium. Sed tamen, quia manus & oculi mulierum in his caſibus ſæpe falluntur, poterunt iterum & aliæ uocari magis expertæ, quæ & diligentius hoc conſiderent. c. cauſam. de probatio. ubi habetur de probatione uirginitatis. uide Panormit. in c. propoſuiſti. de probat. Et ſi & illæ idem dicant, confirmatur depoſitio priorum, nec auditur maritus.

Si autem mediante iuramento dicunt illæ mulieres iuratæ, eam eſſe uirginem, & matrem fieri non poſſe, quia nullum haberet inſtrumentũ, uel tam arctum, quòd cognoſci non poſsit, Et diſtingue: aut poteſt ei ſubueniri per opus humanum, ſine graui periculo, & ſine diuino miraculo, & non impeditur matrimonium contrahendum, nec dirimitur cõtractum. Aut per humanum opus ei ſubueniri non poteſt, uel poteſt quidem, ſed cum graui periculo imminenti, & tunc impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. d. c. fraternitatis §. Nos autem. eo. Quia non poteſt eſſe uxor, quæ non eſt apta ad uiriles amplexus, nec dicitur hoc caſu matrimonium diſſolui, quod ab initio nullum fuit. §. Si uerò ab initio. In Authen. de nuptijs. colla. 4.

Si tamen diuortio facto mulier inueniat aliquem, qui poſsit has ſeras reſerare, ſiue medico iuuante, ſiue uirilitate naturæ, tunc apparet Eccle-

ſiam

ſiam deceptam eſſe. Ideò reſtituetur priori uiro, niſi adulterata fuiſſet, & maritus opponeret exceptionem adulterij, in d.c. fraternitatis. Sed hæc exceptio ideò opponi non poteſt, quòd alij marito nupta ſit, & ei cohabitauerit. Quamdiu enim caſus dubitabilis eſt, id eſt, quandiu pendet lis, poterit ſecundo marito cohabitare. Si enim probabiliter præſumens ſe ſolutam, alteri nubit, non committit adulterium, licet poſtmodum reperiatur nupta. Quia adulterium ſine dolo non committitur, l. penultima. ff. de adulterijs. Si autem inter primum & ſecundum maritum tanta fuerit diſsimilitudo, quòd mulier ſecundo fuerit apta, primo autem nullo modo, nec etiam poterit ab ipſo defloorari, & tamen per frequentem uſum ſecundi, quoque apta reddita eſt primo; An, quando, & quoties primo ſit reſtituenda, Vide textum in d.c. fraternitatis. & ibi gloſſ. in uerbo fornicatio, & in uerbo ex futuro, & Doctores de frigidis & maleficiatis. In his enim cauſis ſicuti textus expreſſe ibi dicit, non eſt facilè iudicandum, cùm finale iudiciũ pendeat ex futuro.

In ſumma, qualitercunque mulier naturaliter fuerit impotens ad carnale debitum reddendum, ſemper impeditur & dirimitur matrimoniũ. Et hoc etiam interdum inde euenit, quòd habet membrum nimis latũ, quòd cognoſci non poteſt, ut notatur in d.c. ex literis. & in d. c. fraternitatis.

Et econtra, quando eſt cognoſcibilis quoquo modo, quamuis ſit ſterilis, uel concipere non poſsit, uel in lecto mingat, uel mortuos pariat pueros, ſemper ualet matrimonium. Quia hoc edictum prohibitorium eſt. Vnde quod expreſſe non eſt prohibitum, manet permiſſum. c. cùm apud. de ſponſal. Sed illi caſus non reperiuntur prohibiti. Ergo. Et tantum de impotentia naturali; nunc de accidentali impotentia dicemus.

DE IMPOTENTIA ACCIDENTALI.

IMpotentia accidentalis dicitur, quando naturaliter potens ex pòſt facto fit impotens. Et eſt duplex, Manifeſta & Occulta.

DE MANIFESTA IMPOTENTIA Accidentali.

MAniſeſta dicitur, quæ per uiolentiam infertur, qualis eſt ſectio, propter quam quis amittit uirilia, ſeu ambos teſticulos, & ille dicitur ſpado. Quamuis ſpado ſit nomen generis, comprehendens ſub ſe naturaliter caſtratum, & accidentaliter ſectum. l. ſpadonum. ff. de uerb. ſignif. l. ſi ſerua §. ſi ſpadoni. ff. de iure dotium. *Spado.*

De

De ſpadonibus autem, qui accidentaliter ſecti ſunt, habentur multæ opiniones, an poſsint eſſe in matrimonio nec ne.

Gloſſ. in c. hi qui. 32. q. 7. tenet quòd ſic, his uerbis: Multi quibus execti ſunt ambo teſticuli, habēt uirgas erectas, & ideo illorum matrimonia ualent, ſiue reſoluant ſperma, ſiue non. Nam talis ſatisfacit mulieri, ſicuti mulier ſatisfacit uiro, ſiue reſoluat, ſiue non. Nec enim requiritur, quòd ſemper in matrimonio ſit filiorum procreatio, Quia ſufficit, quòd non euitent prolem, &c. Et huc accedit, quæ refert Sebaſtianus Monſterus ſuper caput 39. Gene. Vbi dicit, quòd Rabini dicant, duo Eunuchorum genera eſſe: Vnum cui execti ſunt teſtes tantùm, & hi adhuc capiuntur amore mulierum, poteruntq; abuti illis, nec execticio adimit illis facultatem coëundi, ſaltem in multis, tametſi ſint infœcundi. Talis Eunuchus dicit, fuit Potiphar. Aliud Eunuchorum genus eſt, cui & neruus ipſe, ueretrum puta, execticum eſt, & hi nullam penitus habent congrediendi facultatem. Et ſic uidetur, quòd ſpadones, qui tantùm amiſerunt teſtes, retenta uirga, poſsint contrahere matrimonium. Et pro illa opinione facit textus in d. l. ſi ſerua. §. ſi ſpadoni. ff. de Iure dotium, Vbi expreſſe habetur: Si ſpadoni nupſerit mulier, diſtinguendum arbitror, caſtratus fuerit nec ne, & in caſtrato dicas dotem non eſſe. In eo qui caſtratus non eſt, quia eſt matrimonium, & dos & dotis actio eſt.

Eunuchorum duo genera.

Potiphar.

Contrarium tenet Archid. in d. c. ſi hi. 37. q. 7. Hoſtien. in d. §. que impotentia. uer. quidam autem. de frigid. Gloſſ. & Docto. in d. l. ſi ſerua. §. Si ſpadoni. Gloſſ. & Docto. in l. Sed eſt quæſitum. §. Spadonem. ff. de libe. & poſthumis. Panorm. in c. quod ſedem. de frigidis. Et reſpondent ad textum in d. l. ſi ſerua quòd ibi textus loquatur de eo, cui exectus eſt tantùm unus teſticulus, ita expreſſe declarant glo. in d. l. Si ſerua. & in d. l. ſed eſt quæſitum. & Doctores in præallegatis locis. Quòd autem is, qui amiſit tantùm unum teſticulum, poſsit contrahere matrimonium, decidunt gloſſ. in ſuprà allegatis locis. Et facit tex. in l. qui cum uno. ff. de re militari.

Pergemus nunc & dicemus de ijs, quibus per uiolentiam uirilia ita execta ſunt, quòd coire non poſsint. Et de his dic: Aut talis ſectio præceſsit matrimonium, & impeditur propter eam matrimoniū contrahendum, & dirimitur contractum ſine ulla dilatione. Quia hæc impotentia facilè & ad oculum deprehenditur, per text. in c. quod ſedem. iuncta glo. in uerbo, Impotentes. in fin. de frigidis & male.

Aut impotentia accidentalis manifeſta ſequitur matrimonium, hoc eſt, quòd quis conſtante matrimonio amittit uirilia, Et tunc, ſi eſt certum, quòd conſtante matrimonio accidit, decidunt Canoniſtæ, ex quo matrimonium ſemel tenuit, propter impedimentum ſuperueniens dirimi non debeat, per text. expreſſum in d. c. hi qui. 32 q. 7. ibi. Aut à barbaris execti fuerint, & hoc quamuis ſit durum, quòd ſanus debeat continere,

tinere, cùm nulla ſit ſpes toto tempore uitæ ſpadonis: Tamen Lex ita ſcripta eſt, l. proſpexit. ff. qui & à quibus. Et in coniugio multi caſus occurrunt, in quibus coniuges ſine culpa, ſed non ſine cauſa continere coguntur. c. quoniam §. ſi autem. de carnali, & lite non conteſtata. An autem hoc caſu cum muliere diſpenſari poſsit, uide quædam apud Panormita. in c. ex literis. de frigidis & maleficiatis. Et quæ notant Doctores in cap. ex publica. de conuerſat. coniuga. Si uerò non eſt certum, ſed dubitatur an præceſſerit uel ſecuta ſit matrimonium: & præſumitur quòd præceſſerit, ut ſic expediantur contrahentes, nec remaneant impediti. Arg. l. 3. C. de ædilitijs actio. Hoſtienſis in titul. de frigidis §. quæ impotentia. uer. accidentalis. cum uer. ſequenti. Quæ iam diximus de uiro, idem dic de muliere, c. ex literis. & ibi Innocent. de frigid. & malefic. Et tantum de impotentia accidentali manifeſta.

DE IMPOTENTIA ACCIDENTALI Occulta.

IMpotentia accidentalis occulta dicitur, quæ prouenit ex maleficio ſiue incantationibus. Et in hac dic: Quandoq; uir per maleficiũ redditur impotens omnibus mulieribus, præterquàm uni, & ſi illa unica eſt ſua uxor, tum res eſt clara.

Quandoq; uerò uir redditur impotens per maleficium ſimpliciter, uel erga omnes alias mulieres poteſt eſſe potens, Erga uxorem autem eſt impotens, Et dic: aut Impotentia ſequitur matrimoniũ, hoc eſt, quòd conſtante matrimonio per maleficium fit impotẽs, & propterea matrimonium non dirimitur, ſicuti ſuprà diximus de manifeſta impotentia accidentali. Aut præceſsit matrimonium, hoc eſt, quòd quis per maleficium factus eſt impotẽs, priuſquam duxit uxorem, & tunc per triennium debent cohabitare, & carnali copulæ ſtudere, ſecundum formam de qua ſuprà dictum eſt. Et ſi elapſo triennio non ceſſauerit, iudicatur impedimentum perpetuum, & fit ſeparatio. Et ſi uir erga omnes erat potens, erga mulierem autem, quam duxit, impotens, permittitur & ipſi, ut aliã ducat. Potenti autem poſt ſeparationem ſemper permittuntur aliæ nuptiæ. Si autem impotentia ceſſat, ut quia impotens maritus aliam ducit, uel impotens mulier alij nubit, & coguntur redire ad primum matrimonium. c. Laudabilem. Et c. ſi. de frigidis & malefic. c. ſi per ſortiarias. cum ibi notatis. 33. q. 1. Si autem dubitatur, utrum præceſſerit, uel ſecuta ſit impotentia, tunc præſumitur, quòd præceſſerit, ut ſic contrahentes expediantur. arg. l. 3. C. de ædil. actio.

Quomodo autem intelligatur & computetur illud trienniũ, de quo in hac materia diximus, uide Panor. in d. c. ſi. in fine, de frigidis.

Quæ autem diximus de ſeparatione coniugum propter impotentiam naturalem uel accidentalem, tu intellige procedere, quando contraxerunt,

xerunt, & potens de impotentia alterius nullam habuit notitiam.

Si autem quis sciens contrahit cum impotente, tenetur cohabitare, & necessaria subministrare. Quamuis enim uir hoc casu mulierem impotentem non possit habere in uxorem, & mulier uirum in maritum, tamen tenetur habere ut sororem, & fratrem. c. consultationi. de frigid. & malefic. Si tamen potens conuolat ad alias nuptias, ualet matrimonium secundum, tamen primum coniugem tenetur alere, ut notatur in d. c. consultationi. eo.

In hoc negotio, quod ad impotentiam attinet, impossibile est, omnes casus, qui naturaliter uel accidentaliter emergunt, comprehendi sub certis regulis. Igitur Iudex ex officio inquirere debet, an uir de impotentia accusatus aliam cognouerit. c. fin. eo. Et an mulier uirgo sit, & considerabit circumstantias, qualitatem, famam, & statum personarum, & si causam discernere non poterit, consulat superiorem, Item Medicos, & secundum ipsorum consilia procedet. Vide Hostien. in d. §. qualiter. uer. quid si uir.

OCTAVVM IMPEDIMENTVM MATRIMONIUM contrahendum impediens, & contractum dissoluens, est consanguinitas siue cognatio.

Consanguinitas.

DIcitur autem consanguinitas, uinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione cõtractum. Et dicitur consanguinitas à communi sanguine, quasi communem sanguinem habentes, uel de uno sanguine procedentes, ut notat Hostiensis in tit. de cõsanguinita. §. quid sit consanguinitas.

Naturales filij & spurij.

Dico in definitione simpliciter, uinculum personarum ab eodem stipite descendentium. Quia non tantùm illi, qui in matrimonio nascuntur, consanguinei sunt, sed etiam qui extra matrimonium nati sunt, ut filij & filiæ naturales, Imò spurij & uulgo quæsiti. Sed tamen illorum cognatio tantùm spectatur in linea materna, Cùm mater naturalium liberorum, & spuriorum, siue uulgo quæsitorum, semper sit certa. l. quia semper. ff. de in ius uocando. Et ideò retinent ius sanguinis, Quia sanguis non mentitur. l. Iurisconsultus. §. nomen. cum sequentibus. ff. de gradibus affinitatis. l. hac parte. & l. si spurius. ff. unde cognati. Ideò filius uel filia naturalis, uel etiam spurius uel spuria, non potest contrahere matrimonium cum cognato siue consanguineo matris, non minus quàm illi, qui in matrimonio nati sunt. Quanquam autem spurij & uulgo quæsiti à linea paterna non habent agnatos, d. l. si spurius. cùm is tantùm pater sit, quem nuptiæ demonstrant, d. l. quia semper. ff. de in Ius uocando: Tamen spurius non potest ducere filiam illius, qui dicitur

eius

eius pater. Quamuis incertum sit, an sit pater uel nõ. In dubio enim abstinere debet propter periculum cõscientiæ, & in nuptijs semper, quod honestum est spectari debet. l. Semper. ff. de ritu nuptiarum.

Quòd autem in definitione mentio facta est de stipite, intelligẽda est hæc uox de eo, à quo personæ, de quorum consanguinitate agitur, traxerunt originem. Vt Adam est stipes omnium uiuentium, Abraham omnium Iudæorum. *Stipes.*

Est autem Consanguinitas, siue Cognatio in genere, duplex: Agnatio, & Cognatio in specie.

Agnatio propriè dicitur, quæ ex linea masculina oritur, & illa tãtùm habet locum in his, qui in Matrimonio nati sunt. Quia pater est quem nuptiæ demonstrãt. d. l. Quia semper. ff. de in ius uocando. d. l. si spurius. ff. unde cognati. *Agnatio.*

Cognatio uerò in specie dicitur, quæ per lineam fœmininam originem trahit, non distinguendo, siue in, siue extra matrimonium fiat. Vt suprà diximus, & probatur per textum in dicta leg. Si spurius. *Cognatio in specie.*

Effectus consanguinitatis est, impedire matrimonia contrahenda, & dirimere contracta, quæ tamen ipso Iure nulla sunt, ut infrà dicemus. Cùm autem non omnis consanguinitas matrimonia contrahenda impediat, & contracta dirimat, dicemus quæ consanguinitas hoc casu officiat.

De lege Mosi, ut Leuitici decimonono, prohibitæ erant personæ cõsanguineæ sequentes, Pater, Mater, Soror ex utroque parente. Item cõsanguinea & uterina soror, Neptis, Amita, Matertera, Patruus. De affinibus infrà dicemus.

De iure Ciuili illæ ipsæ personæ quoque prohibitæ sunt, & præterea aliæ additæ, ut Soror adoptiua, Fratris uel Sororis filia. Item Nepos & neptis fratris uel sororis, Amita & matertera adoptiua, Amita magna, Matertera magna. §. sed si qua. §. fratris. & §. Item amitam. Institu. de nuptijs.

Antiqui Canones prohibuerunt inter consanguineos usque ad septimum gradum. c. ad sedem. 35. q. 5.

Hodie autem prohibitio durat usq; ad quartum gradum inclusiuè. c. non debet. de consanguinit. & affinitate.

Vt autem hæc materia de prohibitione quarti gradus intelligatur, duo sunt potissmùm consideranda, scilicet Linea & Gradus.

DE LINEA.

Linea propriè dicitur collectio personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, & numeros distinguens.

Et eſt triplex: Linea Aſcendentium, Deſcendentium, & Collateralium. l. 1. ff. de gradibus affinitat.

Linea Aſcendentium eſt, quando numeramus à filio ad patrem, à patre ad auum, ab auo ad proauum, & ultrà.

Linea Deſcendentium eſt, quando numeramus à patre ad filium, à filio ad nepotem, à nepote ad pronepotem, & ultrà.

Et de his duabus lineis non eſt opus multa diſputare. Quia matrimonia inter Aſcendentes & Deſcendentes ſimpliciter et indiſtinctè ſunt interdicta, adeò, quòd etiam ſi Adam adhuc uiueret, Eua mortua, non poſſet ducere uxorem. Et hæc prohibitio non eſt tantùm ex ordinatione legis Moſaicæ, Canonicæ, & Ciuilis, ſed ex prima diuina inſtitutione, quæ habet: Relinquat homo patrem & matrem, id eſt, thorum patris & matris, & adhærebit uxori ſuæ. Vnde apud omnes gentes ſemper obſeruatum, extitit, ut Filius matri, Filia patri, non iungatur. Ius enim naturale dictat, maiorem reuerentiam deberi parenti, quàm coniugi. Arg. l. eum qui probabilem. cum ibi notatis. C. de Epiſc. & cler.

Quanquàm autem, ut diximus, non opus eſt de linea uel gradibus inter aſcendentes & deſcendentes diſputare, cùm nullum matrimonium inter eos conſiſtere poſsit: Tamen propter alias regulas intelligendas, trademus breuibus regulam de gradibus aſcendentium & deſcendentium, quæ talis eſt:

In aſcendentibus & deſcendentibus, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ connumeratis intermedijs una dempta, ut Auus & Neptis ſunt in tertio gradu, quamuis alioqui ſint quatuor perſonæ, ſcilicet Auus, Pater, Filius, Nepos.

DE LINEA COLLATERALIVM, de qua in cauſis matrimonialibus maximè agitur.

Gradus. Linea Collateralium eſt, quando numeramus Fratres, Sorores, & Vlteriores in gradu. Dicitur autem Gradus habitudo diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur, quota agnationis uel cognationis diſtantia duæ perſonæ inter ſe differunt. Et dicitur gradus ad ſimilitudinem ſcalarum, graduum, ſiue locorum procliuium. Quia ita gradimur de proximo ad proximum. d. l. Iuriſconſultus. ff. de arbore affinitatis.

Diuiditur illa linea collateralium in lineam Aequalem & in lineã Inæqualem.

Linea æqualis. Aequalis linea eſt, quando gradus æquè diſtant à communi ſtipite, ut Frater,

Frater, Soror. Item Patrueles. Item Consobrini. Item Sobrini, & liberi sobrinorum.

Inæqualis linea est, quando una persona alias gradu præcedit, ut quando quæritur de fratre, & fratris præmortui filio. Item de consobrinis & sobrinis. Quia frater præcedit gradu fratris filium, & consobrini gradu præcedunt Sobrinos. Igitur sunt in linea inæquali. *Linea inæqualis.*

Vt autem intelligantur gradus in linea collateralium, traditæ sunt duæ regulæ: Prima est de collateralibus in linea æquali, hoc modo: Quoto gradu utraque persona distat à communi stipite, eodem gradu etiam inter se distant.

Exemplum.

Patrueles & consobrini à se mutuò distant in secundo gradu. Quia numerando ad stipitem quælibet persona istarum distat ab eo in secundo gradu. Item Sobrini distant à se tertio gradu, quia quælibet persona distat à stipite tertio gradu. Ita filij sobrinorum distant à se inuicem quarto gradu, Quia quælibet istarum quarta est à stipite.

Secunda regula, de collateralibus in Linea inæquali: Quoto gradu remotior distat à stipite, eodem gradu distant inter se. c. fin. de consang. & affinita.

Exemplum.

Patrueles & Sobrini sunt in tertio gradu, quia sobrini sunt remotiores, & distant à stipite tertio gradu. Ergo & à Patruelibus eodem gradu distant. Licet patrueles sint tantùm in secundo à stipite. Et hæc omnia demonstrabimus per exempla ad oculum, ut facilè adolescentes iudicare possint, in quibus gradibus matrimonia sint interdicta.

Præmittemus autem primùm docendi causa nomina cognationũ, in ascendentibus, descendentibus, & collateralibus.

In linea ascendentium hæc sunt nomina ascendendo:

Tritauus	Tritauia
Atauus	Atauia
Abauus	Abauia
Proauus	Proauia
Auus	Auia
Pater	Mater
Filius	Filia

Parentes enim usq; ad Tritauum apud Romanos proprio uocabulo nominantur: ulteriores, qui non habent speciale nomen, Maiores appellantur. l. Iurisconsultus §. parentes, ff. de gradibus affinitatis. *Maiores.*

In linea descendentium hæc habentur nomina descendendo:

Filius	Filia
Nepos	Neptis
Pronepos	Proneptis
Abnepos	Abneptis
Atnepos	Atneptis
Trinepos	Trineptis.

Posteriores. Liberi ultra hos non habent speciale nomen, sed uocantur posteriores. d. l. Iurisconsultus §. parentes.

In linea Collateralium hæc sunt nomina, & primò in linea proximiori:

Frater, Soror.
Fratrum liberi, Patrueles.
Sororum, uel Sororum & Fratrum liberi, Consobrini.
Patruelium, uel Consobrinorum liberi, Sobrini.

Sequentes in gradu uocantur liberi sobrinorum.

In linea uerò à parte Patris hæc habentur nomina:

Frater patris, Patruus.
Frater aui, Patruus magnus.
Frater proaui. Propatruus.
Frater abaui, Patruus maximus uel Abpatruus.
Soror patris, Amita.
Soror aui, Amita magna.
Soror proaui, Proamita.
Soror abaui, Amita maxima uel Abamita.

A parte Matris hæc sunt nomina:

Frater matris, Auunculus.
Frater auiæ, Auunculus magnus.
Frater proauiæ, Proauunculus.
Frater abauiæ, Auunculus maximus uel Abauunculus.
Soror matris, Matertera.
Soror auiæ, Matertera magna.
Soror proauiæ, Promatertera.
Soror abauiæ, Matertera maxima uel Abmatertera.

Hæc omnia habentur in l. Iurisconsultus. ff. de gradibus affinitatis.

Quia autem nunc explicatæ sunt regulæ graduum, in lineis Ascendẽtium, Descendentium, & Collateralium, & dictum, matrimonia inter Ascendentes & Descendentes in infinitum, & in Collateralib. usque ad quartum gradum inclusiuè, prohibita esse, declarabimus per demõstrationem gradus prohibitos in Linea Aequali & Inæquali.

DE

DE LINEA INAEQVALI.

Stipes

1	Pater Mater	1	Patruus Amita Auunculus Matertera
2	Filius Filia	2	Filius Filia
		3	Nepos Neptis
		4	Pronepos Proneptis.

Con iun gi non possunt

Stipes

1	Pater Mater	1	Patruus magnus Amita magna Auunculus magnus Matertera magna
2	Filius Filia	2	Filius Filia
3	Nepos Neptis	3	Nepos Neptis
		4	Pronepos Proneptis.

Coniungi non possunt

IN LINEA AEQVALI.

Stipes

1	Proauus Proauia	1	Propatruus Proamita Proauunculus Promatertera
2	Auus Auia	2	Filius Filia
3	Pater Mater	3	Nepos Neptis
4	Filius Filia	4	Pronepos Proneptis.

Coniungi non possunt

Omnes illæ personæ sunt prohibitæ, tam in Linea æquali, quàm in æquali. Quia sunt in quarto gradu inclusiuè. Igitur aliæ personæ remotiores, siue æquali, siue inæquali linea accesserint, sunt permissæ, etiam si unus gradus tantùm addatur. c. fi. de consanguinitate & affinitate.

EXEMPLA IN LINEA IN-æquali.

Stipes

			Patruus
1	Pater Mater	1	Amita Auunculus Matertera
2	Filius Filia	2	Filius Filia
		3	Nepos Neptis
		4	Pronepos Proneptis.
		5	Abnepos Abneptis.

Con iun gi pos sunt

Stipes

			Patruus magnus
1	Pater Mater	1	Amita magna Auunculus magnus Matertera magna
2	Filius Filia	2	Filius Filia
3	Nepos Neptis	3	Nepos Neptis
		4	Pronepos Proneptis.
		5	Abnepos Abneptis.

Con iun gi pos sunt

EXEM.

EXEMPLVM GRADVVM PERMISSORVM in Linea æquali.

Stipes

			Abpatruus
1	Abauus	1	Abamita
	Abauia		Abauunculus
			Abmatertera
2	Proauus	2	Filius
	Proauia		Filia
3	Auus	3	Nepos
	Auia		Neptis
4	Pater	4	Pronepos
	Mater		Proneptis.
5	Filius	5	Abnepos
	Filia Coniungi possunt		Abneptis.

Quòd autem diximus in quinto gradu nuptias licitas esse, Tu intelligè, si ab una parte est secundus, tertius, aut quartus, & ab alia quintus gradus. Secus si ab una parte est primus, & ab alia quintus gradus. Tum enim coniungi non possunt. Est enim primus gradus hoc casu loco parentis, & hoc probatur. Nam licet de iure diuino in secundo gradu nuptiæ erant permissæ inter liberos duorum fratrum uel sororum: Tamen matertera & nepos ex sorore coniungi non poterant, Licet sint in secundo gradu, Leuitici decimonono. cap. Literas. de Restitutione spoliatorum. Item de Iure Ciuili quoque permissus erat secundus gradus, ut inter liberos fratrum & sororum, Et tamen prohibetur frater ducere proneptem sororis, quę est in quarto. Ratio prohibitionis, Quia frater proauiæ respectu proneptis est loco parentis, per textum in l. Sororis. ff. de ritu nuptiarum, Vbi dicit textus: Sororis proneptem non possum ducere uxorem, quoniam parentis loco sum. Quare sequitur, quòd frater & soror coniungi non possunt cum fratris uel sororis filio, filia, nepote, nepte, pronepote, pronepte, abnepote, abnepte, & usque in infinitum, ut hoc modo:

Stipes

1 Frater	1 Soror
Con	
	2 Filius Filia
iun	
	3 Nepos Neptis
gi	
non	4 Pronepos Proneptis
poſ	
	5 Abnepos Abneptis.
ſunt	

Vide Hoſtienſem in tit.de conſang.§.uſq;.uer.ſed nunquid. Et ibi in uer.notandæ ſunt,uide quomodo probari debeat conſanguinitas.

NONVM IMPEDIMENTVM matrimonium impediens & dirimens,eſt Affinitas.

Affinitas.

DIcitur autem Affinitas perſonarum proximitas,ex quocunq; coitu conſummato maſculi & fœminæ proueniens,omni carens parentela.Et dicitur affinitas,quaſi ad unum finem unitas,eò quòd cognationes diuerſæ per coitum copulantur, ut notat Hoſtienſis in titul.de affinitate.

Publica honeſtas.

Dico in definitione de coitu. Quia per nudam deſponſationem,non ſecuta copula carnali,non eſt contracta affinitas,ſed publica honeſtas, quæ quoque impedit,ut infrà dicemus.

Secundò dico in definitione ſimpliciter, ex quocunq; coitu. Nam licet de Iure Ciuili,quãdo agitur de tutelis & ſucceſsionib. affinitas oriatur tantùm ex iuſtis nuptijs,ut l.non facilè.§. Affines.& §.ſciendum. ff. de gradibus affinitatis: Tamen de iure Canonico,quando tractatur de matrimonijs,deciditur,quòd Affinitas matrimonium impediens uel dirimens,cõtrahatur ex quocunq; coitu,etiam illicito & prohibito.c.diſcretionem.iuncta gloſſ. in uerbo, nec Affinitas. de eo qui cogno.conſang.uxor. Vbi dicit Panormitan.Nota textum apertiſsimum,& neſcio alibi ita clarum,quòd copula etiam illicita inducit Affinitatem. Et dicit Innocent. Nota per coitum fornicarium fieri Affinitatem. Idem probatur per text.in c. ex literis eo titul.de eo qui cogno.Et in c.unico.& quæ notat gloſſ.in uerbo Affinitatis de ſponſal.in 6.

Tertiò dico in definitione, ex coitu conſummato,ideò quòd uera affinitas

affinitas non contrahitur, nisi fiat commixtio seminis utriusque, scilicet maris & fœminæ, & sic quòd fiant una caro, quia nisus uel conatus ad copulam, uel etiam actus inceptus, nec tamen utriusque seminis commixtione consummatus, non constituit affinitatem. Ideò licet quis inceperit actum cum aliqua, nec consummauit, & postea contraxerit cum eius consanguinea, ualet matrimonium. In dubio tamen semper præsumitur, quòd actus sit consummatus, & quòd facti sint una caro. Hæc possent melius & uberius declarari, sed tu uide Innocentium, Panormitanum, & alios, in c. fraternitatis. de eo qui cognouit consanguineam uxor. Gloss. Et Archidia. in c. extraordinaria. 35 quæst. 3. Eundem Archidiaconum, & alios in d. c. 1. de sponsalibus, in sexto.

Quartò dico de coitu cōsummato, ad differentiam pollutionis extraordinariæ circa naturalia fœminæ. Quia per eam non contrahitur affinitas. An autem orta sit publicæ honestatis iustitia, dicemus infrà. Et de hoc uide text. & quæ ibi notantur in d. c. extraordinaria. *Libido extraordinaria.*

Quintō dico in definitione de coitu masculi & fœminæ, ad differentiam actus Sodomitici, de quo habetur in l. Cùm uir. C. de adulterijs. & in c. clerici. de excessibus prælato. Nam & per hoc delictum quoq; non contrahitur affinitas, per ea quæ notant Archidiaco. & alij in d. c. unico. de sponsalibus. *Sodomiticus actus.*

Sunt autē tria genera affinitatis, primum est, quod mediante una persona contrahitur. Persona enim addita personæ mutat genus attinentiæ, non autem gradum. *Affinitatis tria genera.*

Exemplum.

Ego & frater meus, sumus consanguinei in primo gradu consanguinitatis. Frater meus duxit uxorem, illa est persona addita per copulam carnis, et mutat genus. Quia alio genere attinet mihi, quàm Frater, quia Vxor est affinis. Frater autem consanguineus. Gradum autem non mutat. Sicuti enim Frater est mihi in primo gradu consanguinitatis, Ita Vxor eius est mihi iuncta in primo gradu affinitatis. Et hoc genus habet tantùm prohibitionem in matrimonijs usq; ad quartum gradum inclusiuè. Reliqua ucrò duo genera matrimonia non impediunt. Declarabimus tamen ea, ut adolescentes intelligant.

Secundum genus affinitatis est, quando primo generi est addita alia persona per carnis copulam.

Exemplum.

Vxor fratris mei est mihi in primo genere affinitatis iuncta, mortuo Fratre meo, adde eius relictæ uiduæ alium maritum, & is erit mihi affinis in secundo genere.

Aliud exemplum.

Soror mea habuit maritum, qui est affinis meus in primo genere: Ea mortua, Maritus eius aliam duxit, quæ est mihi iuncta

in

in ſecundo genere. Quia primo generi eſt addita alia perſona. Illo mari to mortuo, ego hanc uiduam ducere poſſum, non obſtante quòd eſt in ſecundo genere. Vxorem tamen priuigni mortui, licet mihi iuncta ſit in ſecundo genere affinitatis, ducere non poſſum. l. uxorem quondam. ff. de ritu nuptiarum.

Tertium genus affinitatis eſt, quod conſtituitur mediantib. tribus perſonis. Perſona enim ſecundo generi per carnis copulam adiecta con ſtituit tertium genus.

Exemplum.

Relicta fratris mei, quæ mihi eſt in primo genere affinitatis iuncta, poſt mortem fratris nupſit Caio, qui eſt mihi in ſecundo genere. Ipſa u xor deceſsit. Caius itaq; aliam duxit, & illa eſt mihi in tertio genere affinitatis. Iam quæritur, utrum mortuo Caio liceat mihi ducere relictã eius. Et dicitur quòd ſic, quia prohibitio ſecũdi & tertij generis eſt ſublata. c. non debet. de conſang. & affin. ponamus ergo Regulas ad pri mum genus pertinentes.

Prima regula.

In affinitate, propriè non eſt gradus, ſed computantur perſonæ à con ſanguinitate contrahentium, ut: Cõſanguinei uxoris quoto gradu ſunt ipſi uxori Iure conſanguinitatis, Eodem quoq; gradu ſunt ipſius marito Iure affinitatis.

Et econtra: conſanguinei mariti quoto gradu ſunt ipſi marito Iure conſanguinitatis, eodem quoq; gradu affinitatis ſunt ipſius uxori.

Exemplum.

Frater mariti eſt marito iunctus in primo gradu conſanguinitatis. Ergo ipſius uxori in primo gradu affinitatis.

Aliud.

Pronepos fratris uxoris eſt ipſi uxori iunctus in quarto gradu con ſanguinitatis. Ergo ipſius marito in quarto gradu affinitatis iũctus eſt. Quare nõ eſt opus hic declarare gradus per demonſtrationem ad ocu lum, ſed in his terminis ſemper recurre ad exempla poſita ſuprà in titul. de conſanguinitate, tum facilè hic intelliges. Quia, ut diximus, quoto gradu conſanguinei mariti ei iuncti ſunt iure conſanguinitatis, eodem gradu eius uxori iuncti ſunt iure affinitatis. Gradus autem conſangui nitatis ex ſuprà dictis facilè intelligi poſſunt.

Secunda regula.

Sicuti conſanguinitas uſq; ad quartum gradum incluſiuè impedit ma trimonia & diſſoluit, ita quoq; affinitas uſq; ad quartum gradum. d. c. non debet. de conſangui. & affinit.

Exemplum.

Si Titius duceret uxorẽ, quæ moreretur, quæritur utrum defunctæ conſanguineam ducere poſſet. Et reſpondetur, quòd non uſq; ad quar-

tum

tum gradum inclusiuè. Quia affinitas est perpetuum impedimentum, quod durat enim mortua persona, mediante qua contrahitur.

Tertia Regula.

Affinitas contrahitur tantùm inter sponsum & cõsanguineos sponsæ: & econtra, inter sponsam, & consanguineos sponsi. Hoc est, quòd maritus non potest ducere aliquam, quæ uxori premortuæ iuncta est in quarto gradu. Et econtra: Vxor non potest nubere alicui, qui marito præmortuo iunctus est in quarto gradu.

Inter consanguineos autem sponsi & sponsæ nulla est affinitas matrimonium impediens.

Hinc est, quòd priuignus potest ducere filiam nouercæ, & sic pater & filius ducere possunt matrem & filiam, & duo fratres ducere possunt duas sorores. c. quod super his. de consanguinit. & affinitate.

Nomina affinium.

Viri & uxoris pater, Socer est.
Vtriusque mater, Socrus dicitur.
Filij uxor, Nurus.
Filiæ uir, Gener.
Vxor liberis ex alia uxore natis, Nouerca.
Matris uir ex alio uiro natis, Vitricus.
Eorum utrinque natos uocamus Priuignos & Priuignas.
Socer magnus, uxoris Auus: & illi Neptis maritus, Progener.
Mariti Auus est Socer magnus uxoris, & illa ipsi Pronurus.
Vxoris Auia Prosocrus, & maritus ei Progener.
Mariti Auia uxori Socrus magna, & ipsa ei Pronurus.
Viri Frater, Leuir.
Viri Soror, Glos dicitur.

Hæc omnia habentur in l. non facilè. ff. de gradibus affinitatis. Et omnes illæ personæ sunt prohibitæ, usq; ad quartum gradum inclusiuè.

In lege Mosi, ut Leuitici decimooctauo, sequentes personæ in affinitate tantùm prohibitæ erant:

Vxor patrui,
Nurus,
Nouerca,
Vxor fratris,
Priuigna,
Filia priuigni uel priuignæ,
Soror uxoris.

Colligitur autem quòd Socrus quoque est interdicta, quia nurus nõ potest cõiungi cum socero. Ergo eodem modo Gener cum Socru prohibetur.

De iure ciuili eædem personæ prohibentur, ut §. affinitatis. Institut. de nuptijs.

Notabis

Notabis autem hanc regulam infallibilem esse, & perpetuò procedere, quod gradus inter consanguineos & affines in lege Mosi & iure ciuili prohibiti maneant in perpetua prohibitione, nec sint mutati de Iure canonico. E contra autem in lege Mosi & iure ciuili multi gradus permissi erant, qui nunc prohibiti sunt, sicuti ex superioribus apparet.

Quæ autem iam de prohibitis gradibus diximus, procedunt de rigore iuris Canonici. Ecclesia tamen ex causa, in quibusdã gradibus collateralium dispensare potest. Ideò de dispensatione, quãtum ad hoc nostrum propositum attinet, pauca dicemus.

DE DISPENSATIONE.

DIspensatio dicitur Iuris communis positiui relaxatio, utilitate siue necessitate pensata. c. requiritis. §. nisi rigor. cum c. sequenti. Et quę ibi notantur. 1 q. 7

Dico in definitione, Iuris communis positiui relaxatio, ad differentiam iuris diuini & naturalis. Quia Ecclesia contra illorum dispositionẽ dispensare non potest, sed usq; ad sanguinem defendere debet. c. sunt quidam. 25 q. 1.

Hinc sequitur, quòd in gradibus consanguinitatis & affinitatis à iure diuino prohibitis omnino nulla admittitur dispensatio, per tex. in c. literas. §. Rescriptio. & §. sanè. uers. opinioni. iuncta gloss. in uerbo dispensare, & in uerbo diuina. de restitutio. spoliato. c. gaudemus. & c. fin. cum ibi notatis. de diuortijs. gloss. in c. pitacium. in uerbo sororis. 3. q. 3. Specula. in tit. de dispensa. §. nunc breuiter. uer. sextò in gradib. Quæ autem sint personæ in iure diuino prohibitæ, suprà diximus. Dicit tamen Panormit. in d. c. literas. de restitut. spoliato. Adde tamen unum notabile dictum Ioannis Andreæ, positum in extraneo loco, scilicet in c. per uenerabilem. qui filij sint legitimi, Quòd Ecclesia ex causa posset dispensare etiam in gradibus diuina lege prohibitis: Facit tamen unam differentiam inter gradus lege diuina prohibitos, & eos quos lex humana prohibuit, scilicet, quòd in prohibitis casibus legis humanæ dispensare possit circa matrimonium ut ualeat, ut ex tunc, hoc est, quòd filij in tali matrimonio ante dispensationem nati quoq; sint legitimi. In alijs diuina lege prohibitis, dispensatio non operaretur ut ex tunc, sed tantùm ut ex nunc, hoc est, quòd uirtute istius dispensationis illi tantùm liberi fiant legitimi, qui post dispensationem nati sint, non autem qui antè. Et dicit hoc esse notandum. Et sic uult, Quòd si matrimonium in gradu à lege diuina prohibito iam est contractum, quòd ex causa possit dispensatio admitti. In contrahendo autem non item. Et idem Panorm. in d. c. per uenerabilem. dicit: Memini audiuisse agitari in Curia, Nunquid possit dispensari, ut patruus duceret neptem

Dispensatio in lege diuina quatenus probetur.

cx

ex fratre in uxorem, qui gradus à lege diuina prohibitus est: Et tamen ad instantiam magni Principis audiui fuisse dispensatum. Sed puto talem dispensationem fieri non posse, nisi ex maxima causa & ardua. Et Ioannes Brunelli, in tractatu suo de sponsalibus, in conclusione 24. sic dicit: Accidit interdum in Regno Franciæ, quòd fuit dispensatum, ut patruus contraheret cum nepte ex fratre, sicut in regno Angliæ aliquando permissum fuit, & dispensatum, ut frater fratris mortui uxorem duceret, ut in ueteri Testamento contingebat, sed hæc facta sunt in familijs illustrissimis principum, & in causis apprimè necessarijs. Tametsi hoc uideatur durum, propter prohibitionem legis diuinæ &c. Tu cogita, nos hæc recensuimus sicuti scripta inuenimus.

Secundò dico in definitione, Iuris positiui. Quia non est dubiũ, quòd Ecclesia in gradibus à Iure positiuo prohibitis ex causa dispensare possit, ut in secundo gradu lineæ æqualis, scilicet inter filios fratrum uel sororum. Sed in secundo gradu lineæ inæqualis, ut inter fratrem & fratris filiam, dispensare nõ potest regulariter, ut notatur in d. c. literas. & alijs Iuribus ibi allegatis.

Secundò dico in definitione, utilitate siue necessitate pensata. Ideò quòd dispensatio sine causa fieri non debet.

Sunt autem tres causæ, propter quas regulariter fieri solet dispensatio.

Prima est, ratio publicæ pacis, ut si liberi regum uel magnorum Principum contrahunt, dispensari potest, per textum in c. 2. iuncta gloss. ibi in uerbo pacis. Et quæ notant Doct. de desponsat. impub. Potest enim ex urgenti necessitate, uel pro bono pacis quandoq; recedi à dispositione legali uel Canonica, ut 29. per totum. *Dispensationis causæ.*

Secunda est, fauor liberorum ex tali matrimonio iam contracto natorum, ad hoc ut fiant legitimi, & admittantur ad successionem, ut colligitur ex dictis Ioann. Andre. & Panorm. suprà relatis.

Tertia causa est, quando infideles contraxerunt matrimonia secundum iura suæ professionis, & postea constante matrimonio conuertuntur ad Christum, dispensatur cum eis, ut huiusmodi matrimonia nõ dissoluantur, licet sint contra iura positiua. Nam cùm matrimonia æquè sint inter gentiles, Saracenos & Iudæos, sicuti inter Christianos, Et ualent secundum ipsorum iura: Et Baptismus superueniens non est modus soluendi coniugia: post Baptismum non debent separari. Tolerarur ergo hoc casu secundus gradus in linea æquali. Item si quis tempore infidelitatis duxit relictam fratris, Tolerantur post conuersionẽ. c. gaude. & c. fi. de diuortijs. c. gaudemus. qui filij sint legitimi. Si tamen Saracenus, qui plures uxores haberet, conuerteretur ad Christum, cogeretur retinere primam, & alias dimittere. Quia Deus creauit unum masculum, & unam fœminam. Item si quis secundum iura infidelium dederit

primæ libellum repudij, & aliam superinduxerit, conuersus ad Christũ teneretur secundam dimittere, & ad priorem redire, nisi prior maneret infidelis, nec uelit conuerso cohabitare: uel cohabitare quidem, sed cũ contumelia nominis Christi. Vide Panorm. in præallega. locis.

Dispensationis effectus. Effectus dispensationis est, quòd contractus fit matrimonium, contrahentes mariti & uxores, liberi inde nati fiunt legitimi, cum distinctione de qua suprà, scilicet, si dispẽsatio est facta in gradibus à Iure diuino prohibitis, Vlterioribus tamen, ut si quis duceret relictã patrui, tum legitimantur tantùm liberi post dispensationem nati, priores non fiunt legitimi. Si autem dispensatio fit in gradibus à lege Canonica prohibitis, omnes fiunt legitimi, per ea quæ decidunt Ioann. Andre. & Panor. in d. c. per uenerabilem. Et Petrus de Ancho. in c. unico. de sponsalibus in sexto.

DECIMVM IMPEDIMENTVM matrimonium impediens & dirimens est Publica honestas.

DE PVBLICAE HONESTATIS IVSTITIA.

PVblicæ honestatis Iustitia, est propinquitas ex sponsalibus puris & certis proueniens, sine copula, robur trahens ab Ecclesiæ institutione, propter eius honestatem.

Dico in definitione: propinquitas. Quia ex solis sponsalibus non oritur affinitas, sed tantùm publica honestas, ut habetur & notatur in §. si uxor. uer. Nam constat. Instit. de nuptijs.

Secundò dico, ex sponsalibus. Quia etiamsi spõsalia sint nulla, propter consanguinitatem, affinitatem, uel aliud impedimentum: tamen per ea inducitur publicæ honestatis iustitia, Si modò consensus cõtrahentium accessit. Igitur licet quis contrahat cum aliqua, quæ est eius consanguinea infra quartum gradum, Et sic nulliter: tamen propter consensum prohibetur, ne ducat aliquam, quæ ei infra quartum gradũ juncta est, per tex. express. in c. unico. de sponsalibus in 6.

Sponsalia conditionalia. Tertiò dico: ex sponsalibus puris. Quia ex sponsalibus conditionalibus honestis, ante conditionis euentum nulla oritur obligatio, & sic per consequens nulla honestatis iustitia, nisi secuta fuerit carnis copula. Quia per eam purificatur conditio. c. de illis. de conditio. appo. d. c. unico §. si. de sponsali. in 6.

Sponsalia certa. Quartò dico: ex sponsalibus certis. Quia si incerta sunt, nihil operãtur. Dicuntur autem certa, quando quis promisit ducere Bertam filiam Titij. Incerta sunt, quando in genere promisit ducere unam ex filiabus Titij, secundum gl. in d. c. unico. in uerbo certis.

Quintò

Quintò dico ſimpliciter, ex ſponſalibus puris & certis. Quia nõ diſtinguitur, ſiue priora ſponſalia ſint de futuro, uel de præſenti. Vtroque enim caſu contrahitur publicæ honeſtatis iuſtitia, matrimonium impediens & dirimens cum conſanguinea primæ.

Igitur ſi quis primùm contrahit ſponſalia de futuro cum Berta, & poſtea ſponſalia de præſenti cum ea quæ ei iuncta eſt infra quartum gradum: tamen tenetur retinere primam, licet alioqui regulariter ſponſalia de futuro tollantur per ſponſalia de præſenti ſequentia. c. ſi inter. de ſponſalibus. Quia hoc procedit, quando ſecunda primæ in quarto gradu non eſt iuncta. Secus ſi prima & ſecunda ſunt conſanguineæ. Tunc præferuntur ſponſalia prima de futuro, ſequentibus de præſenti, ſecundum glo. & ibi Doct. in d. c. unico in uer. Idem fecit. de ſponſal. in 6. Si autem ſponſus cognouit ſecundam, neutram habeat. Primam habere non poteſt, propter affinitatem ſubſecutam cum eius conſanguinea. Licet enim affinitas ſuperueniens non dirimat matrimonium, tamen dirimit ſponſalia. Secundam autem ideo habere non poteſt, quia præceſsit publicæ honeſtatis iuſtitia, ſecund gl. in d. c. unico. in uerbo. Idem fecit. c. duo pueri. de ſponſal. impub. Si autem nunc de lapſu carnis timeatur, ex diſpenſatione ad alias nuptias conuolare poterunt. c. ex literis. iuncta glo. in uerbo de lapſu. de eo qui cognouit.

Sextò dico, ſine copula. Quia ſi copula acceſsiſſet, non tantùm eſſet publica honeſtas, ſed etiam affinitas, ut ſuprà diximus. Sic etiam niſus uel conatus ad copulam quoq; non inducit publicam honeſtatem, niſi præceſſerint ſponſalia. Tum enim niſus fortificat honeſtatem. Ita decidit Ioan. Andre. in d. c. unico. de ſponſalibus, in ſexto, quem ſequuntur Petr. de Ancho. Philippus Francus, & alij. Sic quoq; extraordinaria pollutio circa naturalia mulieris, non inducit publicam honeſtatem, niſi fiat maritali affectu, præcedentibus ſcilicet ſponſalibus. c. extraordinaria. 35. q 5. Et ibi Archiadia. Vide Doctores in d. c. unico.

Septimò dico, Robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione, propter eius honeſtatem. Quia Eccleſia iudicauit honeſtum, ut nunq̃ accipiat quis ſui conſanguinei uiui, uel mortui ſponſam, cùm in matrimonijs nõ tantùm ſpectetur quid liceat, ſed etiã quid honeſtum ſit. l. ſemper. ff. de ritu nup. gl. in d. c. unico. in uer. publicè. & ibi Archi. & alij, de ſponſal. in 6. *In matrimonijs honeſtas ſpectãda.*

Et ſic patet, ſi quis contraxit cum una ſponſalia de præſenti, uel de futuro, quòd poſtea nunq̃, & ſic nec in uita, nec poſt mortem illius, cum eius conſanguinea infra quartum gradum contrahere poteſt. Et ſi contraxerit, matrimonium non ualet, niſi diſpenſetur. d. c. unico. de ſponſ. in 6. Cum affinib. eius contrahere poteſt. Quia tantùm conſanguinei prohibiti ſunt. Cùm affines ſponſę, ſponſo hoc caſu plerunq; iuncti ſunt inſecundo genere affinitatis, cuius prohibitio ſublata. Ità decidunt Doctores in d. c. unico.

Publicæ honestatis neglectæ pœna.

Pœna autem eorum est, qui contraxerunt contra publicæ honestatis iustitiam, & perseuerauerunt, quòd non est matrimonium: contrahentes non sunt mariti, & uxores; liberi nati non sunt legitimi. Et hoc uerum, si scientes publicam honestatem subesse, contraxerunt. Secus autē, si alter ex coniugibus hoc ignorauit, tunc propter ignorantiam alterius ex parentibus, liberi tempore ignorantiæ nati sunt legitimi, & admittūtur ad successionem. c. referente. qui filij sunt legitimi.

Sed præter hæc impedimenta, Canonistæ habent adhuc quatuor:

I. Cognationem spiritualem.
II. Cognationem Legalem.
III. Votum.
IIII. Ordinem.

Cognatio spiritualis.

Cognatio Spiritualis, dicitur quædam propinquitas, seu attinentia, proueniens ex Sacramenti datione, ut in Baptisante: uel ad id scilicet sacramentum detentione, ut patrino, & eius filio carnali, qui ex hac detentione fit frater spiritualis filioli patris carnalis. Et de hoc uide totum titulum de cognatione spirituali.

Cognatio legalis.

Cognatio legalis, est adoptio, de qua quoque habes titulum de cognatione legali.

De uoto & ordine habes titulum, qui clerici uel uouentes matrimonium contrahere possunt. Et tantum de Impedimentis matrimonij, & de uoce LEGITIMA, in Definitione posita.

INDIVIDVAM VITAE CONSVETVDINEM.

Sextō dico in definitione, indiuiduam uitæ consuetudinem, ad differentiā cohabitationis meretricię & cōcubinatus. Secundò quòd matrimonium secundum Canonicas institutiones contractū, ubi nullū impedimentum, de quib. suprà subest, dissolui nō potest, nisi ex quatuor causis, quas infrà enarrabimus. Ideò maritus uxori, & uxor marito cohabitare debent, quòd si admoniti nō paruerint, excōmunicentur, & si post excommunicationem perseuerauerint, nec cohabitare uoluerint, poterit Epis. implorare brachium seculare, ut compellantur de facto redire. Et si contrarium diceremus, de facili soluerentur matrimonia, eò quòd mulier pertinax pateretur excōmunicationem, & animo indurato toleraret potius excōmunicationem, ꝗ rediret. Ideò cùm Epis. nō potest exequi, poterit implorare auxilium brachij secularis. c. 1. & quæ ibi notātur de off. ordinarij. Quia quos Deus coniunxit, homo non separet.

Imò nō satis est cohabitare, sed etiā tenentur debitū reddere, nec admittitur excusatio, nisi fuerit impedimentū, propter quod matrimoniū soluitur, si hoc in continenti poterit probari. Si aūt probatio requirit altiorem indaginem, tunc neuter alterū spoliare potest ante causæ decisionem. c. literas. de restit. spolia. Quòd autem dixi, nullam excusationem admitti, quando postulatur debitum, adeò uerū est, quòd sana pars non

poterit

poterit excipere de Lepra,uel alia graui infirmitate coniugis, ſed tenetur reddere debitum,ſi poteſt,niſi eſſet tantus horror infirmitatis,quōd ſanus nullo modo poſſet ad coitum moueri,quia tunc excuſatur. Cūm nemo ad impoſsibile obligetur.l.impoſsibilium.ff.de regulis Iuris. c.nemo poteſt.de reg.Iuris,in ſexto.Si autem horror non eſt tantus,quin ſanus poſsit ad coitum moueri,& ſpecialiter uxor, quæ ſolum habet pati,& non agere, & quæ ſine aliquo motu caloris debitum reddere poteſt,& tunc non excuſatur,per tex.in c.2.de coniugio leproſorum, ubi dicit tex.Quòd ſi uirum,ſiue uxorem leproſam fieri contigerit, & infirmus à ſano carnale debitum exigat,generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur eſt ſoluendum, cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio inuenitur.Sed tamen ſanus compelli non poteſt ad lectum continuè,ſed ſufficit leproſo,uel aliàs ægrotanti, quòd ſuo debito non fraudetur,ſecundum gloſſ.in c.1.in uerbo miniſtrent.de coniug.leproſor.

Nec etiam ſanus cogi debet ad continuam cohabitationem leproſi. Admoneri tamen debet ſana pars,ne diutius ſit à leproſo, ſed ſequatur, & ei coniugali affectione miniſtret.d.c.1.de coniugio leproſorum. Et prædicta procedunt,quando ægrotus petit debitum à ſano,quòd nulla admittitur exceptio.Secus ſi ſanus petit debitum ab ægroto. Tum enim,ſi infirmitas tanta eſt,quòd reddere non poteſt,excuſatur per dictā regulam,Ad impoſsibile nemo obligatur.d.l.Impoſsibilium.ff.de reg. Iur.Propter hoc autem pars ſana non poterit relinquere coniugē ægrotantem, ſed continere cogitur,quia in matrimonio multi caſus occurrunt,in quibus coniuges ſine culpa, licet non ſine cauſa continere coguntur.c.frequenter.§.ſi autem.ut lite non conteſta.

Sed an coniunx,à quo petitur debitum,poſsit ſe defendere exceptione,ratione temporis uel loci, ut quia eſt feſtum natalis Chriſti, Paraſceue,Paſchæ,uel ſimile, uel eſt in loco ſacro, & eſt communis concluſio, quòd non debeat quidem peti. Igitur petens ab altera admoneri debet, ut deſiſtat.Quòd ſi deſiſtere nolit,teneatur,ut reddat,ita tamen, quòd opportunè, commodè,& ſalua debita honeſtate fiat. Ita decidit Hoſti. in titul.de matrimo.§.quis ſit effectus.

An autem uxor contra maritum petentem debitum,poſſet excipere, quòd ſit prægnans,uel quòd ſit tempus menſtrui,uel ſit infra tempus purificationis poſt partum,uide Henricum Bohic in c.inquiſitioni. de ſententia excommunica.Ioan.Brunelli in tractatu ſuo de ſponſalib.in octaua concluſione,in fi.in 7.uolumine.

Si autem dominus exigendo ſeruitium à ſeruo ſuo uxorato,& uxor in exigendo debitum carnale concurrant,quæritur utrius petitio præferatur,domini uel uxoris. Et reſpondetur,ſi periculū mortis imminet domino, fortè ſuperuenientibus ſuis capitalibus inimicis, & tunc dimittat uxorem importunam,& ſubueniat domino.Arg.l.ſi quis in gra-

ui §. Si cùm omnes ff ad illas. Aut non imminet tale periculum domino, & tunc uxori potius est obediendum, maximè ubi periculum fornicationis immineret. Vnde eo casu tenetur dominus modicum expectare, Quia citò poterit seruus obedire. Et in mora modici temporis, non est magnum damnum. l. si debitori. ff. de iudicijs. Hanc quęstionem ponit glo. in c. 1. in uer. Seruitia, de coniugio seruorum, & Doctores disputant.

An autem uxor teneatur sequi maritum abeuntem, uel recedentem, Item an coniunx absentem coniugem expectare teneatur, dicemus infrà copiose in tractatione articuli desertionis.

Dico in definitione, consuetudinem uitæ. Quia matrimonium soluitur morte. Ideò post mortem hæc consuetudo sublata est, sicuti dicit Apostolus, 1. Cor. 7. Mulier mortuo marito à lege eius soluta est. Ideò nubat in domino. c. pe. & fi. de secun. nup. Quare si maritus mortuus miraculose resuscitaretur, uxor inuita non cogeretur ei cohabitare. Vide gloss. & quæ ibi notantur, in c. licitè. 32. q. 7. in uerbo nunquam. & de hoc dicemus infrà.

DIVINI IVRIS.

Dico in definitione, diuini Iuris, ideò, quòd coniuges debent esse eiusdem religionis. l. Ne quis. C de Iudæis. Sed de hoc diximus suprà partim, de sexto impedimento, scilicet de disparitate religionis: Et dicemus infrà de diuortijs.

HVMANI IVRIS.

Dico, humani Iuris. Quia uxor perfecto matrimonio non ad forũ parentum, sed mariti pertinet. l. de iure §. ultimo. ff. ad municipales. l. cũ quædam puella. ff. de iurisdictione omnium iudicum. Et tantum de definitione, sequitur nunc diuisio.

Nuptiæ sunt duplices, Illicitæ & Licitæ.

- Illicitæ, scilicet ratione impedimentorum suprà dictorum, & subdiuidunturin
  - Incestas siue nepharias, quæ sunt inter
    - Ascendentes,
    - Descendentes,
    - Fratres, Sorores,
    - Patruos, Auunculos,
    - Amitas, Materteras,
    - Nurum, Socrum,
    - Priuignum, Priuignam,
    - Nouercam, Vitricum.
  - Inutiles, quę sunt inter
    - Collaterales consanguineos, et affines primi generis, usq; ad quartum gradum inclusiuè. Item sunt Inutiles ratione aliorum impedimentorum, de quibus suprà.

Licitæ,

- Licitæ, quia nulla impedimenta extant, & sunt duplices:
  - Clandestinæ, quæ sunt duplices
    - In quibusdã ipse contractus, & sic substantialia probari non possunt.
    - In quibusdam uerò substantialia probãtur quidem, sed deficit probatio solennitatum.
  - Publicæ
    - Conditionales, quæ sunt triplices,
      - Honestæ & possibiles.
      - Inhonestæ & possibiles.
      - Honestæ & impossibiles.
    - Puræ.

De his autem nunc ordine dicemus, & primùm de nuptijs illicitis.

DE NVPTIIS ILLICITIS.

NVptiæ illicitæ dicuntur, quæ uel natura, uel lege, uel Canone prohibente contrahuntur. Et subdiuiduntur in incestas siue Nephariias, & Inutiles.

Incestæ siue Nephariæ sunt, quæ natura repugnante & prohibente contrahuntur. Quarum causæ sunt: Primò ratio sanguinis inter ascendentes & descendentes, usq; in infinitum, siue sint naturales & legitimi, siue naturales tantùm, siue spurij, siue incestuosi, quales sunt Pater Filia, Auus Neptis, Auia Nepos, Mater Filius. §. inter eas. Inst. de nup. l. nup. cum l. sequenti. & l. fin. ff. de ritu nuptia. l. si adulterium cum incestu. in princ. ff. de adulterijs. *Incestæ nuptiæ.*

Secunda causa est cõsanguinitas inter collaterales proximiores, quales sunt Frater, Soror, Patruus, Auunculus, Amita, Matertera. l. quinetiam. ff. de ritu nuptia.

Tertia causa est affinitas proximior, ut Nurus cum Socero, Priuignius cum Nouerca, Vitricus cum Priuigna. l. ab incestis & inutilibus nuptijs l. auunculo. ff. de cond. sine causa. Vide Leuit. 18. Quia cum omnibus personis ibi prohibitis committitur incestus.

Effectus incestarum nuptiarum sunt, quòd non reputantur pro matrimonio: nec uocantur mariti & uxores: & sic neq; dos, neq; donatio propter nuptias debetur, liberi inde nati nõ sunt legitimi, nec etiã in po- *Incestarum nuptiarum effectus.*

testate parentum : cùm neq; naturales neq; legitimi sint, sed incestuosi. Ideoq; hæreditatis parentum non capaces .§. si aduersus. Institu. de nuptijs. Imò de rigore Iuris ciuilis eis non debentur alimenta, Auth. ex cõplexu. C. de incestuo. & inutilibus nuptijs. De æquitate tamen Canonica ali debent. c. cùm haberet. de eo qui duxit in matrimonium, quã per adulterium polluit.

Et illæ nuptiæ non soluuntur per diuortium, uel alium modum. Ab initio enim nullæ erant, & inualidæ.

Incestus pœna. Pœna uerò contrahentium incestas nuptias, est confiscatio omnium bonorum, c. Cùm secundum. de hæreticis. in sexto, nisi ex tent liberi ex priori licito matrimonio. Secundõ, priuatio cinguli, id est, dignitatis. Tertiò, missio in exilium, & præterea, si uilis persona fuerit, corporis castigatio .§. Sancimus. in Auth. de incestis & nepharijs nuptijs, colla. ij.

In hoc tamen dic, Quòd incestus, quo ad pœnam, in nuptijs est duplex, de Iure Gentium, & de Iure ciuili.

De Iure Gentium, cum consanguineis committitur incestus, in gradibus Ascendentium & descendentium. l. fi. ff. de ritu nuptia. Cum affinibus autem committitur in sequentibus personis, ut cum priuigna, nuru, uel nouerca, & econtra. l. si adulterium cum incestu. in princ. ff. de adulterijs. d. l. auunculo. ff. de condi. sine causa.

Remittitur autem talis pœna, si contrahentes ignorantes contraxerunt, & præsertim mulieres maiorem habent excusationem. Ita decidit Bald. in l. qui contra. C. de incestis nuptijs, ubi dicit: Secundò quæro de pœna imponenda propter incestum. Et dic: Aut qui contraxit, sciuit factũ & Ius, id est, sciuit, quòd sic esset cognatus, & sciuit quoq; hos gradus tãquam incestuosos à iure prohibitos esse, & punitur pœna, de qua suprà. Si uerò sciuit Ius, hoc est, sciuit prohibitionem illorum graduum: factum uerò ignorauit, hoc est, nesciuit, quòd esset talis cognatio inter ipsos contrahentes, & succurritur ei propter ignorantiam facti. Si uerò sciuit factum, hoc est, cognationem, & ignorauit ius: Et non succurritur, maximè si errauit in iure gentium, quod natura docet. Si autem in Iure Ciuili errat, mitius punitur.

Ignorantia facti excusat, nõ Iuris.

Mulier autem præcipuè hoc casu propter sexum excusatur à pœna incestus, per tex. in d. l. si adulterium cum incest .§. incestum. ff. de adulterijs, iuncta gloss. ibi. in uerbo sexu, ubi dicit, Quòd mulieribus hoc casu sit ignoscendum. Quia ipsis permissum est ignorare ius. l. 2 .§. fin. ff. de Iure fisci. l. fin. C. de Iuris & facti ignorantia. Et ibi gloss. in uerbo autoritas. quæ expresse dicit, esse speciale, quòd mulier propter ignorantiam Iuris excusetur à crimine incestus, & est de hoc text. expressus in d. l. si adult. cum incestu .§. stuprum. ff. de adulterijs, ubi dicit tex. expresse: Quare mulier tunc demum eam pœnam, quam mares, sustinebit, cùm incestum Iure gentium prohibitum admiserit. Nam si sola Iu-

Mulieres excusat ignorantia iuris.

ris

ris nostri obseruatio interueniat, mulier ab incesti crimine erit excusata. Idem decidit gloss. in d. l. qui contra. C. de incestis nuptijs.

Quòd autem etiam in marito pœna incestus mitigetur, si palàm contraxit, est optimus textus in d. l. fi. ff. de ritu nuptia. ubi dicit text. Qui uerò uel ex latere uenientium uxorem duxerit, quam uetatur, uel affinem, quam impeditur, siquidem palàm fecerit, lenius: si clam hoc commiserit, grauius puniatur. Cuius diuersitatis illa ratio est, circa matrimonium, quod ex latere contrahitur, quòd palàm delinquentes, ut errãtes, maioris pœnæ excusantur: clàm committentes, ut contumaces plectũtur. Et tantum de incestuosis nuptijs.

DE INVTILIBVS NVPTIIS.

Inutiles nuptiæ sunt, quæ tantùm lege & Canone, & non natura repugnante contrahuntur.

Illarum causæ, sunt impedimenta, de quibus suprà diximus, scilicet:

I. Vxoricidium.
II. Raptus sponsæ uel uxoris alterius.
III. Incestus.
IIII. Error.
V. Violentia.
VI. Furor.
VII. Crimen.
VIII. Ligamen.
IX. Disparitas Religionis.
X. Impotentia coëundi.
XI. Cognatio in secundo, tertio & quarto gradu.
XII. Affinitas primi generis in secundo, tertio & quarto gradu.
XIII. Publica honestas. Quia omnia ista impedimenta reddunt nuptias inutiles. Canones, ut diximus, addunt alia, de quibus suprà. Vide quæ suprà in definitione, super uerbo LEGITIMA, de singulis diximus.

Et quanquàm nuptiæ hoc casu contractæ sint inutiles, tamen omnia impedimenta non habent eosdem effectus. Quia in primis sex impedimentis, & in decimo, si nuptiæ contractę & ratificatæ sunt debito modo, secundum ea quæ suprà diximus, manet uerum matrimonium, & liberi inde nati sunt legitimi: sed posteriora, hoc est, 7. 8. 9. 11. 12. & 13. habent effectus, quòd non habentur pro matrimonijs, nec contrahentes pro maritis & uxoribus. Ideoq; neq; dos, neq; donatio propter nuptias, debentur. Liberi ex illis nuptijs procreati, non habentur pro legitimis, & excluduntur ab hæreditate. d. l. qui contra. C. de incestis & inutilibus nuptijs. *Inutilium nuptiarum effectus.*

Quòd

Quod tamen diximus, liberos ex nuptijs incestuosis & inutilib. natos non esse legitimos, tu intellige, si parentes scientes impedimentum subesse contraxerunt. Secus si fuerunt ignorantes, aut iustissimo errore decepti sunt, aut ætatis lubrico lapsi, & errore comperto, uel ad iustã ætatem prouenientes, & impedimentum subesse intelligentes, abstinuerũt. Tum propter illam parentum, uel alterius tantam ignorãtiam, excusantur liberi ex talib. matrimonijs nati, & habentur pro legitimis. d. l. qui cõtra. C. de incestis nuptijs. c. ex tenore. & c. referente. & quæ ibi notantur, qui filij sint legitimi.

Prædicta autem uera sunt, si parentes publicè contraxerunt. Secus si clandestinè. Tum enim ignorantia parentum, quo ad legitimationem liberorum, nihil prodest. c. cùm inhibitio. §. si quis. de clandestina despon sat.

Et hæ nuptiæ inutiles non soluuntur per diuortium, uel alium modum, sed ipso iure nullæ sunt, nisi in posterioribus gradibus sit dispensatum. Et tantum de nuptijs illicitis.

DE NVPTIIS LICITIS.

NVptiæ licitæ dicuntur, quæ ratione graduum consanguinitatis, affinitatis, & aliorum impedimentorum, de quibus suprà dictũ est, non sunt prohibitæ.

Et sunt duplices, Clandestinæ & Publicæ.

Nuptiæ clandestinæ. Clandestinæ dicuntur, quæ clam contrahuntur, & quamuis ratione impedimentorum illicitæ non sint, tamen sunt prohibitæ, ut infrà patebit.

Et dicuntur Clandestinæ ex duabus causis:

Primùm ideò, quòd contrahentes tempore contractus soli sunt, nec adhibent testes, quibus matrimonium probari possit. Ideò si una pars affirmat, matrimonium contractum esse, altera uerò negat, incumbit onus probandi affirmanti. c. 1. de clandest. desponf. Si nunc probat, cogitur altera pars cohabi are. Si uerò non probat, & tamen contractum est, ualet quidem, quo ad Deum, in foro conscientiæ. Igitur hoc casu neuter ex contrahentibus altero uiuente cum alio contrahere potest. Et hæc est ratio, quare clandestina matrimonia prohibita sunt, scilicet periculum animarum. Quia mutata uoluntate alterius sponsorum, non potest fieri fides iudici. Vnde si conuolant ad secunda uota, parant sibi laqueum. Et propterea illa pars, quæ sibi conscia est, in foro conscientiæ non debet reddere debitum, si cum alio contraxit: & si in foro iudiciali, ubi primum matrimonium probari non potest, fuerit excommunicata, ideò quòd non uult reddere debitum, debet potius excommunicationem ferre, quàm contra conscientiam debitum reddere.

reddere. c. inquisitioni. de senten. excommunica. in 6. c. literas. §. pen. derestit. spolia. c. Iudicantem. 30. q. 5.

Si autem uir dixerit, se mulierem post sponsalia cognouisse, mulier autem negat, uel mulier allegat copulam, & uir negat, utroq; casu standum est Iuramento uiri, quòd scilicet iuret, se eam cognouisse uel nō cognouisse. c. continebat. & c. duo pueri. de sponsa. impub. Nisi mulier uelit per aspectum corporis probare contrarium, quòd scilicet sit uirgo, & incorrupta, tunc admittitur: & si probauerit, præfertur hæc probatio iuramento uiri. c. proposuisti. de probatio.

An autem in terminis, ubi nihil omnino est probatum, parti reæ possit deferri Iuramentum, uide Docto. in c. Continebatur. de desponsatione impuber. Felinum in c. 1. ut lite non contesta.

Et quanquam communiter decidant, quòd sic, tamen Panor. in d. c. 2. dicit, quòd hoc procedat, quando saltem aliqualis præsumptio est pro matrimonio. Secus ubi pro eo nihil apparet. Vide ibi & textum, cū ibi notatis, in c. Mulieri. de iureiuran.

Si autem matrimonium ab initio est clandestinè contractum, & contrahentes postea publicare uoluerint, recipienda & comprobanda sunt ab Ecclesia, tanquàm à principio in Ecclesiæ conspectu contracta fuissent, nisi rationabilis causa, hoc est, consanguinitas, affinitas, uel similis præpediat. d. c. 2. de clandestina desponsa. c. si quis. 30. q. 5. Et filij etiam ante illam publicationem nati, sunt legitimi. c. quòd nobis. qui filij sunt legitimi.

Et hæc clandestina desponsatio sic utriusque partis confessione publicata, præiudicat matrimonijs publicis contrahendis, & sic sponsalibus de futuro, etiamsi secunda firmata sint Iuramento, uel fide data, Quamuis secundis fiat illusio. Quia in dubijs tutior uia & certior respectu animæ est eligenda. c. super eo. cum ibi notatis, de consanguinitate & affinitate. c. Iuuenis. de sponsalibus. Et hanc opinionem tenet Hostien. in tit. de clandest. desponsa. §. utrum clandestina. uer. quòd si mulier.

Sed matrimonia, quæ iam publicè contracta sunt, præiudicant in foro iudiciali, præcedentibus clandestinis, quæ scilicet per testes legitimos probari non possunt, licet secus sit in foro pœnitentiali. Igitur Ecclesia stat pro publicis. Quia diuinare non potest. c. unico. §. cùm enim. ut Ecclesiastica beneficia. c. si quis. 30. q. 5.

Nec unquam credendum est sponsis, etiamsi ambo post secundum matrimonium publicè contractum pro primo clandestino confiteantur, ex quo de primo non fuit fides facta per testes, uel partium confessionem Ecclesiæ, antequàm secundum contraheretur. Ideò si quis bina clandestina matrimonia contraheret, est in sua potestate ab initio quòd maluerit publicare. Caueat autem, ne primitus secundum publicet.

Nam

Nam postea non crederetur, quòd aliud præcessisset, nisi per testes probaretur. Et hoc iustè dicitur, alioqui enim multæ fierent collusiones inter spõsos. c. super eo, de eo qui cogno. c. super eo. el. 2. de testibus. Quæ autem diximus de clandestinis nuptijs, quoq; habent locũ de clandestinis sponsalibus de futuro, quòd scilicet publica præferuntur clandestinis. Vide de hoc Panorm. in c. fi. de clandest. desponsa.

Clandestina sponsalia.

Secundò dicuntur clandestinæ nuptiæ, quando omittuntur solennitates.

Solennitates nuptiales, quæ possunt omitti.

Sunt autem illæ solennitates duplices. Quædam enim sunt tantùm de honestate, quæ sine causa omitti possunt, quales sunt:

1. Arra.
2. Annulus. Et si Arra & Annulus interuenerunt, præsumitur pro sponsalibus, arg. c. illud. de præsumptio. Si autem detur annulus à Sacerdote, præsumitur pro matrimonio. Vide gloss. in c. fœminæ. 30. q. 5. in uerbo Annulus.

Quòd autem in primis nuptijs Annulus à sponso sponsæ datur, & econtra, fit nimirum uel propter mutuæ dilectionis signum, uel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto digito Annulus inseritur, Quia in eo uena quædam, ut fertur, sanguinis, ad cor usq; peruenit. c. fœminæ. 30. q. 5.

3. Vt sponsa ab his, sub quorum potestate est, petatur, recipiatur, & dotetur, iuxta possibilitatem. c. nullum. 30. q. 5.
4. Dotalia instrumenta. gloss. in c. aliter. in uerbo contubernia. 30. q. 5. Sed tamen nuptiæ extra dotalia instrumenta ex solo affectu ualẽt. §. Illud. in Authen. quibus modis naturales effic. legitimi.
5. Quòd sponsa à paranymphis accipienda est. d. c. aliter. cum seque.
6. Quòd benedictio detur in facie Ecclesiæ.
7. Velamen. Quia fœminæ, quando maritantur, ideò uelantur, ut se nouerint semper maritis suis subditas esse, ut humiles. d. c. fœminæ. Et docet quoque uelamen uerecundiam in nuptijs præire debere. Inde etiã nuptiæ dictæ sunt, quòd pudoris gratia se puellæ obnuberent. c. nec illud. 30. q. 5.
8. Vitta, quasi uno uinculo copulentur, uidelicet ideò fit, ne compagem coniugalis unitatis disrumpat. At uerò quòd eadem Vitta candido purpureoq; colore permiscetur: Candor quippe est ad mũditiem uitę, purpura ad sanguinis posteritatẽ adhibetur, ut hoc signo & cõtinentia & lex continendi ab utrisq; ad tempus admoneantur, & post hoc reddẽdum debitum non negetur. d. c. fœminæ.
9. Publicæ nuptiæ.
10. Traductio in Ecclesiam cum oblationibus quas offerre debent. c. nostrates. 30. q. 5.

Quædam uerò solennitates tales sunt, quòd sine causa omitti nõ possunt, quales sunt:

1. Bene-

1. Benedictio Sacerdotis.

2. Banna siue proclamatio in Ecclesia. Nam cùm matrimonia fuerint contrahenda in Ecclesijs per Presbyteros, publicè proponuntur competenti termino præfinito, ut infra illum, qui uoluerit & ualuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri, etiam si nemo opposuerit, nihilominus inuestigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cùm autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Si autem quis sine hac solennitate, clandestinè contraxerit matrimonium in gradu prohibito, licet ignorãter, efficit quòd proles ex tali clandestino matrimonio suscepta, non habetur pro legitima, non obstante ignorantia parentum. Et si sacerdos etiam in gradu concesso, non præcedentibus bannis, sponsos copulauerit, condigna pœnitentia ei iniungatur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitiosè impedimentum obiecerit, Canonicam non effugiet ultionem.

Solennitates nuptiales, quæ omitti non possunt.

Hæc omnia probantur in cap. final. de clandestin. desponsation. Et sic apparet ex hoc, quòd hæc Banna ideò proponuntur, ut inuestigetur, an aliquod obstet impedimentum, scilicet cognationis, affinitatis, publicæ honestatis in gradibus prohibitis, uel quid simile, & admittitur quilibet ad denunciandum, & præsertim consanguinei contrahentium. Vide gloss. in d. c. fina. in uerbo uoluerit. de clandestin. desponsat.

Et hæ solennitates licet non sint de substantia matrimonij, sed sufficiat consensus: Tamen ne sub specie matrimonij fiat fornicatio, uel ne matrimonialiter coniuncti separentur. Sæpe enim matrimonio occultè contracto alter mutaret propositum, & dimitteret reliquum probationis destitutum, gloss. in cap. 1. in uerbo quod autem. 30. quæstion. 5.

Et ideò cui notum est hoc ius de Bannis siue proclamationibus, & ex contemptu omittit, sine causa peccat. Si autem ignoraret hoc ius uel consuetudinem, excusaretur. l. error. ff. de iuris & facti ignorantia. Si autem omittuntur non ex contemptu, sed ex causa, secus est. Vt quia fortè uterque contrahentium, uel alter eorum, est senex, & erubescunt cõtrahere cum tanta solennitate, uel fortè nobilis accipit ignobilem, et timent parentes ipsius nobilis. Vide Henricum Bohic in cap. Cùm inhibitio. de clandestina desponsatione.

Hoc autem, quòd banna proponantur, non admittit etiam hodie consuetudo in magnatum matrimonijs, sicuti Comitum, Marchionum, & similium, quod etiam potest concedi, quòd non sit necesse banna proponi, quando quis uocat uxorem à remotis partibus, & publicè nuncios mittit. Sic enim in facie Ecclesiæ contrahi

poterit matrimonium inter ipsos. Tutius tamen est, ut in Ecclesia proponatur publicè in hoc casu, & assignetur terminus usque in diem crastinam, in qua desponsentur, ut sic seruentur Iura. uide Hostiensem in titul. de clandestin. desponsatio §. quot modis dicantur. uer. quid igitur.

Proponuntur autem illa banna in Ecclesijs, ubi contrahentes habitant.

An autem forensis admittatur, ut contrahat alibi, uide Panor. in d. c. fi. uer. tertiò quæritur, de clandest. desponsatione.

Qui autem sic contraxerint, & illas solennitates ex contemptu omiserint, peccant, & imponatur eius pœnitentia, secundum gloss. in c. fi. in uerbo pœnitentia. de clandest. desponsa. Liberi tamen ex talibus matrimonijs nati, sunt legitimi, si aliud impedimentum non obstat, cùm, ut suprà dictum est, consensus nuptias faciat. Vide de hoc tractatum Ioan. Lupi de matrimo. & legitimatione §. quæ dicantur sponsalia clandestina.

DE NVPTIIS PVBLICIS.

PVblicæ nuptiæ dicuntur, quæ coram testibus quibusdam, quibus probari possunt, contractæ sunt.

Et sunt duplices, Conditionales & Puræ.

Conditionales sunt triplices: Honestæ & Possibiles, Inhonestæ Impossibiles & Possibiles, Honestæ & Impossibiles.

DE HONESTIS POSSIBILIbus Conditionibus.

Conditio honesta possibilis necessaria.

CIrca honestam & possibilem conditionem dic: Aut est Conditio necessaria, Aut uerò uoluntaria. Si necessaria est, subdistingue: Aut est talis conditio, quæ omnino extitura est, nec tamen est de substantia matrimonij, ut si quis contrahit hoc modo: Promitto tibi matrimonium, si sol cras orietur. Hæc conditio non suspendit contractum, quia talia futura iam sunt præsentia in suis causis. Si tamen quis hoc modo contrahendo, uelit suam promissionem conferre ad aliquod certum tempus, dicendo: Promitto tibi matrimonium, si Sol in Cancum uenerit, matrimonium in suspenso esset usq; ad illud tempus, & uaileret matrimonium, si promittens interim cum alia contraheret, ita decidit Henricus Bohic in c. Conditiones. de conditio. apposi. quem refert & sequitur Ioannes Brunelli in tractatu suo de sponsalib. in 33. conclusione.

Aut cõditio nõ est omnino extitura, & tunc aut est talis cõditio, quæ

aliàs

aliàs ſine expreſsione tacitè intelligebatur in contractu, ut illa: Promitto tibi, quòd duco te, ſi Deus uoluerit, ſi Deo placuerit, ſi uixerimus. Et talis conditio nō ſuſpendit matrimonium, Sed habetur pro puro. Arg. l. conditiones extrinſecus. & l. aliquando. ff. de condition. & demonſtratio.

Aut conditio non intelligebatur tacitè, & dic: aut eſt talis, cuius præexiſtentia eſt neceſſaria ad ſubſtantiam matrimonij, de Iure ſpeciali, & diſpenſatiuo, ut ſi duo, qui ſibi inuicem iuncti ſunt ſanguine, in ſecundo uel tertio gradu, contrahunt his uerbis: Promitto tibi nuptias, ſi Eccleſia diſpenſauerit, & ſimpliciter non ualet talis deſponſatio. Quia cùm ſponſalia non teneant, ubi requiritur diſpenſatio, Ergo nec ſub conditione contrahi poterāt. Arg. l. inter ſtipulantem §. Sacram. ff. de uerbo. obligatio.

Aut eſt talis conditio, cuius præexiſtentia neceſſaria eſt ad ſubſtantiā matrimonij de iure communi, ut cùm Chriſtianus dicit Iudææ: Cōtraho tecum matrimonium, ſi facta fueris Chriſtiana, ſine qua conditione non ualeret talis promiſsio. c. Caue. & c. non oportet. 28. q. 1. Igitur per talem conditionem matrimonia ſuſpenduntur tam ex ui conditionis, cū ex natura rei, id eſt, fidei, quæ debet ineſſe, antequàm ſit matrimoniū. Et tantum de conditione honeſta poſsibili neceſſaria.

Si autem conditio honeſta & poſsibilis non eſt neceſſaria, ſed uoluntaria, & dic: Aut eſt talis, quæ tacitè ineſt, ut ſi contrahentes ita dicunt: Promitto tibi nuptias, ſi honeſtè uixeris &c. Et non habetur pro conditione. Quia non ſuſpendit actum, ſed ualent nuptiæ, quaſi puræ. arg. d. l. conditiones extrinſecus. ff. de conditio. & demonſtratio. l. non rectè. C. de fideiuſſor. *Conditio bene ſta poſsibilis uoluntaria.*

Aut eſt talis conditio, quæ non ineſt tacitè, ſicut illa: contraho tecum, ſi mihi dederis centum. Item, ſi pater meus conſenſerit, & dic: Aut poſt illam promiſsionem conditionalem, ſecuta eſt copula carnalis, & cenſetur promittens per copulam à conditione receſsiſſe. Igitur habetur pro matrimonio puro, per tex. in c. per tuas. de conditio. appoſitis.

Aut carnalis copula non eſt ſubſecuta, & talis conditio ſuſpendit matrimonium, nec poteſt promittens cogi, ante conditionis euentum. c. ſuper eo. de conditio. appoſitis. Quare ſi contrahens pendente conditione contraheret cum alio purè, ualeret contractus.

Huc poteris referre conditionem, mediante qua quis ita contraxerit: Promitto tibi matrimonium, ſi te uirginem inuenero, quo caſu Hoſtien. in titul. de conditio. appoſitis §. quæ conditio. uer. quid ſi contraho. decidit, quòd ualeat matrimonium ſimpliciter, ſiue ſit inuenta uirgo, nec ne. Argum. l. alioqui. §. quòd ſi ego. ff. de contrahend. emptione.

Et dicit Innocent. in c. de illis. si quis sub hac conditione contraxerit, scilicet, si inuenero te uirginem, si in primo coitu mihi placueris, &c. quòd tales conditiones, tanquam inhonestæ, sint reijciendæ. cap. 1. de condition. appositis. Sed Henricus Bohic in d. c. si conditiones. de condition. appositis, dicit, Quòd licet actus sit inhonestus, conditio tamen, quantum in se, honesta est, & apponenti utilis, qui fortè intendit uitare bigamiam. Vnde si mulier, quæ scit ueritatem, hoc in fraudem celat, bene est, quòd ipsa decepta remaneat, & huic subueniatur. arg. c. cum uniuersorum de rerum permutatio. Ideò si conditio deficit, matrimonium non est. c. de illis. & c. super eo. de condition. appositis.

In hoc tamen distinguit: Aut est omnino occultũ, quòd non inuenit uirginem, & in foro conscientiæ quidem procederet, quòd retinere nõ teneretur: sed in foro iudiciali secus, tum propter defectum probationis. l duo sunt Titij. ff. de testamen. tute. c. mulieri. cum ibi notatis, de iureiuran. tum uerò propter scandalum uitãdum. cap. cũm olim. de cle. coniug. c. ex literis. de homicidio.

Si autem constaret, quòd uirginem non inuenisset, dici potest, quòd non teneretur eam retinere, cùm non simpliciter, sed sub conditione contraxerit. Vide tractatum Ioannis Brunelli in trigesima tertia conclusion. uer. ad quod certis. de sponsalibus. Et quærit ibi: Quid si quis cum muliere contrahat sponsalia, sub conditione, si se cognosci permittat, an sequente copula sit matrimonium? Et decidit, quòd huiusmodi conditio, quamuis uideatur inhonesta, tamen non est habẽda pro non adiecta, sed suspendit sponsalia, quæ in primo coitu erant pura & absoluta, iam stante conditione. Igitur est matrimonium, secũdum gloss. in c. 1. in uerbo si permiserit. & quæ notant Doctores ibi, de sponsa duorum.

DE CONDITIONE INHONESTA Impossibili & Possibili.

SI uerò conditio est Inhonesta & Impossibilis de Iure, ut si quis hoc modo promitteret mulieri uel uirgini matrimonium: Promitto tibi nuptias, si publicè in templo docueris, uel si missam celebraueris: & nihil operatur talis adiectio, sed censetur matrimonium purè contractum, si modò uterque consensit. cap. 1. & final. de conditionibus appositis. Quia tales actus mulieribus sunt interdicti, & respectu ipsarum inhonesti, & de iure impossibiles. c. noua quædam. de pœniten. & remissio.

Si autem conditio est quidem inhonesta, possibilis tamen de facto,

& dic: aut conditio est contra substantiam matrimonij, ut hoc modo: contraho tecum, si prolem euitaueris: Item, si te adulterandam tradideris: Vel, si meliorem non potero inuenire. Et dic: si alter, cui fit talis promissio conditionalis, consentit appositioni conditionis, tunc nullus est consensus, nec ualet matrimonium, etiam si fuit secuta copula. c. fi. de conditio. appos. c. solet. & c. aliquando. 32. q. 2. Si uerò alter, cui fit promissio, contradicit huic turpi conditioni, uel tacet, Quia tacendo uidetur contradicere, in fauorem matrimonij, & secuta fuerit copula, & est matrimonium. Nam nisi ambo consentiunt huic turpi conditioni, non impeditur matrimonium. d. c. aliquando. cum ibi notatis. 32. q. 2.

Aut conditio turpis possibilis de facto, non est de substantia matrimonij, Vt si hoc modo dicat: promitto tibi matrimonium, si hominem interfeceris, si furtum uel rapinam commiseris. Et talis conditio habetur pro non adiecta, sed est matrimonium purum. d. c. fi. de conditio. appositis.

DE CONDITIONE HONESTA & impossibili.

SI uerò est honesta & impossibilis, ut si homo hoc modo contrahat: Contraho tecum, si imperium mihi dederis, uel si cœlum digito attigeris, & quoq; habetur pro non adiecta, sed est matrimonium purum. d. c. fi. Et tantum de nuptijs conditionalibus.

DE NVPTIIS LICITIS publicis puris.

PVræ nuptiæ dicuntur, quæ sine alicuius conditionis adiectione contrahuntur, ut si quis hoc modo contrahit: Promitto tibi, quòd sis uxor mea: Item, promitto tibi, quòd nemo nos separabit excepta morte. Et hæ nuptiæ ueræ & efficaces sunt, omnia producentes, quæ ad iustum matrimonium requiruntur. Et habent hæ nuptiæ multas causas, ut:

Causam efficientem,
Causam materialem,
Causam formalem,
Causam finalem,
Et Effectus.

DE CAVSA EFFICIENTE.

CAusa efficiens matrimonij est duplex, Principalis & Secundaria.

Causa efficiens principalis est ipse Deus, qui in Paradiso ante peccatum instituit matrimonium. Creauit enim Deus hominem ad imaginē & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculū & fœminam creauit eos, benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Gene. 1.

Causa efficiens secundaria, est consensus, qui est duplex, Consensus parentum, & Consensus contrahentium.

DE CONSENSV PARENTVM.

Vide Basilium Monnerum.

DE Iure Ciuili consensus parentum in linea paterna est de substantia matrimonij, adeò quòd si liberi sine consensu parentum contraxerint, matrimonia nulla sunt, & liberi ex tali matrimonio nati non sunt legitimi, nec succedunt parentib. §. i. & §. si aduersus. Inst. de nup. l. Paulus. ff. de statu hominum. l. si ut proponis. C. de nup. l. nuptiæ. cum l. sequenti ff. de ritu nuptia. Et dicitur notanter de linea paterna. Quia mater, & in materna linea ascendentes, liberos non habent in potestate. Ideoq; & ipsorum consensus de iure ciuili de necessitate nō requiritur. §. fi. Instit. de patria potestate.

De Iure autem Canonico non est de necessitate, sed de honestate, hoc est, quòd liberi quidem contrahere non debent sine cōsensu parentum, in quorum potestate sunt, si tamen matrimonium sine consensu parentum contractum est, & aliud impedimentum non obstat, non debet dirimi. c. sufficiat. 27. q. 2. c. 1. de despon. impube. in 6. In causis enim spiritualib. & conscientiæ, patria potestas non habet tantum autoritatis, sicuti in reliquis contractib. c. si annum §. in huiusmodi. de iudicijs, in 6. Quia patria potestas neq; Iuris naturalis, nec gentium est, sed Iuris ciuilis §. Ius autem. Inst. de patria potestate.

Fuit itaq; nostris temporibus inter Theologos & Canonistas super hoc puncto magna disceptatio, cùm Theologi decisionem Iuris ciuilis, Canonistæ uerò Ius Canonicum hoc casu approbarent.

In hoc tamen conueniunt utrinq;, quòd in matrimonio contrahēdo requiratur consensus parentum, & quòd liberi malè agant, si sine cōsensu parentum contraxerint.

De hoc autem tantùm dubitatur, si matrimonium iam est contractū sine consensu parentum, & contrahentes alioqui sunt iustæ ætatis, nec obstat aliud impedimentum, utrum propter omissionem istius cōsensus parentum, rescindi & dirimi debeat.

Quod nunc ad hanc quæstionem attinet de matrimonio iam cōtracto, conueniunt Theologi cum Canonistis in quibusdam, in quibusdā uerò non item. Ideò ut intelligas, hoc modo distingue:

Aut post matrimonium sine consensu parentum contractum, res

non

non est integra, sed copula carnalis subsecuta, & concordant, quòd matrimonium separari non debeat, utcunq; consensus parentum defuerit. Theologi considerant maius scandalum, Canonistæ habent textum expressum in c. cum causa. de raptoribus.

Sed hic considerandum est, quòd illi qui urgent obseruationem Iuris ciuilis, non possunt distinguere, utrum res integra sit, nec ne. Quia de Iure ciuili matrimonia sine consensu parentum cõtracta, adeò nulla sunt, quòd etiam dirimi debent, postquam per carnalem copulam fuerint cõsummata, & liberi ex tali copula nati sunt legitimi. d. §. si aduersus. Instit. de nuptijs.

Aut uerò post matrimonium sine consensu parentum cõtractum res est integra, hoc est, carnalis copula non subsecuta, & distingue: Aut parentes contrahentium sunt duri, qui aut prohibuerunt liberis matrimonia, aut occasionẽ quærere noluerunt, & in hoc quoq; conueniũt, quòd ualeat. Canonistæ habent d. c. sufficiat. Theologi allegant Ius ciuile, ut l. qui liberos. ff. de ritu nuptiarum.

Aut parentes non sunt in culpa, ratione prohibitionis uel negligẽtię, & tamen liberi sine ipsorum consensu contraxerunt, & dic: Aut parentes tacent, nec impugnant expresse, & quoq; ualet matrimonium secundum utrosq;. Quia propter taciturnitatem uidentur ratificare, & ratificatio retrò trahitur, & mandato æquiparatur. Theologi habent pro se exemplum Tobiæ Iunioris, cui angelus Raphaël, parentibus inscijs desponsauit Saram filiam Raguelis, ut Tobiæ 6. Et ualuit, licet res nõ esset integra, cùm ad notitiam parentum peruenirct. Canonistæ habent pro se d. c. sufficiat.

Aut parentes non tacent, sed impugnant, & tunc aut puer inobediẽs post contractum perseuerat in suo proposito, & tunc si matrimonium consummatur, ualet secundum utrosq;, & liberi ex eo nati, sunt legitimi. Theologi habẽt pro se exemplum Esau Gene. 28. Apud Canonistas non habet dubium. d. c. sufficiat.

Aut puer redit ad parentes, & subijcit se ipsorum uoluntati post contractum matrimonium, Et dic: Aut pars, quæ alteram ad contrahẽdum induxit, est honesta, & paris conditionis, & Theologi non temerè separationem permittunt: apud Canonistas nullũ est dubium de ualiditate.

Aut pars, quæ alteram dolo induxit, sine consensu parentum, non est paris conditionis, sed inhonesta, uel saltem uilis. Et de hoc contenditur. Canonistæ enim iudicant, non esse dirimendum, Theologi contrà.

Canonistæ allegant suprà allegata Iura, & præterea dictum Christi, Matthæi decimònono: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & per hæc uerba matrimonium in Paradiso institutum est, Gen. 2. Et sic quanꝗ quartum præceptũ habeat regulam generalẽ: Honora patrem & matrẽ, tamẽ uidetur, quòd per illa uer

ba institutionis sit posita fallentia ab illa regula,& quòd sic generi derogetur per speciem l. sanctio Legum.ff.de pœnis. Nec obstat,si objceretur,hanc fallentiam non loqui de sponsa,sed de uxore. Quia non dicit, adhærebit sponsæ suæ : sed adhærebit uxori suæ &c. Quia ad hoc respondetur,quòd appellatione uxoris quoq; ueniat sponsa, ut Deutero. 22. Vbi dicit textus : Si quis dormiuerit cum puella desponsata,morte moriatur. Quia humiliauit uxorem proximi sui. Et Matthæi 1.dicit Angelus ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam,cùm tamen tantùm esset desponsata.

Theologi autem primùm habẽt pro se textus Iuris Ciuilis, qui suprà allegati sunt. Secundò,quartum præceptum : Honora patrem & matrem. Tertiò textum Deutero. 7. ubi dicit : Filiam tuam non dabis filio Cananæi,nec filiam eius accipies filio tuo. Ex quibus patet,quòd Deus potestatem contrahendi matrimonia collocauit in parentes,dum dicit: Non dabis filiam tuam &c. alioqui dixisset : Vos liberi ne accipiatis. Quartò,textum Nume. 30. qui dicit : Mulier si quippiam uouerit, & se constrinxerit iuramento,quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari,si cognouerit pater uotũ,&c. & tacuerit, uoti rea erit : Sin autem,ut audierit,contradixerit pater, uota & iuramenta irrita erũt &c. Et licet is textus non faciat mentionem de nuptijs, tamẽ idem colligi potest per argumentum à minori ad maius.

Postremò, allegant absurdum, & inconueniens,quod sequeretur. Nam si nuptiæ sine consensu parentum contractę simpliciter ualerent, esset liberum ignotis & uilibus quibuscunqꝫ hominibus honesti alicuius uiri filiam quasi furari,eamqꝫ decipere,cùm tamen dolus dans causam contractui bonæ fidei annullet contractum ipso iure. l. eleganter. in princip. ff. de dolo. Sed tamen gloss. & Doctores decidunt,licet dolus interueniat in matrimonijs,quòd tamen ualeant. Ita decidit gloss. in c. cum dilectus. in uerbo ad fatuitatem. de his quæ ui metũ sue causa fiunt. gloss. in c. constituit. in uerbo cogatur. 20. q. 3. in gloss. in l. A diuo Pio. in uerbo actionem. ff. de ritu nuptiarum. Et dicit Ioann. de Imo. in d. c. cum dilectus. Quòd si mulier dolo persuasit,se habere amplas facultates,& ita dolo circumuenit Iuuenem,ut eam acciperet in uxorem, Et postea reperitur nihil habere,iste dolus nihil officit matrimonio. uide Docto. Iaso. in l. pacta nouissima. uer. Nota quòd matrimonium. C. de pactis.

Theologi tamen in suis libris protestantur, quòd nolint ponere legẽ iudicibus in foro contentioso & iudiciali,sed tantùm in foro pœnitentiali consulere.

Autoritas autem tutorum & curatorum etiam de Iure ciuili in contrahendis matrimonijs non requiritur. l. in copulandis. C. de nuptijs. Et tantum de consensu parentum.

DE

DE CONSENSV CONTRAHENTIVM.

CONsensus contrahentium est triplex:
Consensus cohabitationis,
Consensus copulæ carnalis,
Consensus matrimonialis siue coniugalis societatis. c. sufficiat. 27.q.2.

Consensus cohabitationis nudæ, matrimonium nõ facit. Aliàs enim inter fratrem & sororem, inter filium & matrem, matrimonium esset. d. c. sufficiat. quod tamen fieri non potest. c. literas. de restitu. spolia. c. nõ debet. de consang. & affin.

Consensus carnalis copulæ quoq; non facit matrimonium. Quia si contrarium diceretur, sequeretur, quòd inter scortatorem & scortũ esset matrimonium. Item sequeretur, quòd inter beatam uirginem & Ioseph non fuisset matrimonium. d. c. sufficiat. c. beata uirgo. 27.q.2.

Consensus autem matrimonialis siue coniugalis societatis, ut de indiuidua uitæ consuetudine, facit matrimonium. c. cum locum. & c. tua de sponf. Sed is consensus est duplex: Tacitus & Expressus. *Consensus tacitus.*

Consensus tacitus dicitur, quando alter ex contrahentib. nec uerbis, nec signis utitur, sed præsens est, & tacet, ut quando parentes desponsant liberos præsentes, & liberi non contradicunt, sed tacent, ualet matrimonium, si non metus intercesserit. c. uni §. Porrò. cum ibi not. de despon. impub. in 6. Et hoc est speciale, quando parentes desponsant liberos. In alijs autem casib. taciturnitas non habetur pro consensu, ut notant gl. & Doct. in d. §. porrò. l. in sponsal. la. 1. ff. de sponsal.

Consensus expressus subdiuiditur: Interdum enim declaratur per signa, Interdum uerò per expressionem uerborum.

Quando nunc de signis loquimur, Dic: Aut loquimur de personis, quæ loqui uel audire non possunt, ut de mutis & surdis, Aut uerò de his qui loqui possunt. *Consensus expressus signis.*

Primo casu dic: Aut loquimur de his, qui tantùm sunt muti, uel surdi, uel quidem surdi & muti simul, non tamen cæci, & possunt contrahere matrimonia, cùm, quod uerbis non possint, signis ualeant declarare. c. cum apud. de sponsalib.

Aut loquimur de his qui simul cæci, muti, & surdi sunt, & uidetur, quòd contrahere non possint. Quia nunquam uiderunt matrimonium contrahi, nec uxorem teneri, & sic in eo, quod nunquam uidit, nec audiuit, nec etiam scit quid sit, consentire non potest. arg. l. in lege. ff. de contrahend. emption. Contrarium tamen uidetur uerius. Nam cùm possint cognoscere mulieres, & naturali utantur ratione, licet illã non possint exprimere, ut si carnis stimulis turpia signa ostenderent, per quæ euidenter appareret, quòd mulierem quærant ad commiscendum cum ea, forsan eis permittendum esset, ne peius facerent arg. §. 1.

Institu.

Institu. de Iure naturali, gent. & ciuili. Panor. in d. c. cùm apud. de sponsalibus, dicit post Hosticnsem: Aduertendum, utrum talis, qui simul est mutus, cæcus & surdus, possit exprimere suum consensum in contrahendo, & debet admitti, aliàs autem repelli. Ex gestibus enim & signis discretus Iudex hoc cõsiderabit, Et in dubio consulendus erit princeps.

Secundo casu, quando scilicet quæritur de his qui loqui possunt, & dic: quòd matrimonium regulariter non ualet, nisi consensus expresse per uerba declaretur. c. licet. de sponsa duorum. ibi, utroq; dicente. Et hoc est statutum ab Ecclesia, ne matrimonia sint in incertis. Aliàs enim sequeretur absurdum, scilicet, si adolescens & puella tacitè cõsentirent, & neuter de alterius uoluntate certus esset, quòd esset matrimoniũ neutro sciente. Ad hæc ergo dubia & pericula tollenda, statutum est, ut uerbis exprimant consensum.

Dic tamen in hoc casu: Aut neuter contrahentium utitur uerbis, sed signis, & non cõtrahitur matrimonium d. c. licet. cum ibi notatis, sumpto argumento à contrario sensu, de sponsa duorum.

Aut uerò una pars utitur uerbis, altera uerò signis, et tunc, si ex signis sumitur uiolenta præsumptio, & est matrimonium, Vt si adolescens dicit puellæ: Consentio in te, ut in uxorem, si uis me in uirum, porrige mihi manum, uel da mihi osculum, si hoc fit, est matrimonium, ut notant Doctores in c. fi. de sponsa duorum, & in c. fi. 27. q. 2. Et notatur in c. tua. de sponsalibus.

Consensus expressus uerbis.

Aut contrahentes utuntur uerbis, & dic: Aut sunt uerba ad matrimonium apta, ut, accipio te in meam. Item, accipio te in meum. & non est dubium, quin matrimonium sit contractum. cap. si inter uirum de sponsalibus. c. licet. de sponsa duorum. Et hoc adeo procedit, quòd etiam, si ante desponsationem dixisset, protestor, quòd ea, quæ dicturus sum, non dicam animo contrahendi matrimonium: Tamen hac protestatione non obstante, est matrimonium. Vide gloss. & Docto. in c. tua. de sponsalibus. Aut sunt usi uerbis non consuetis ad matrimonium, sed indiscretis, ut si dicat, non dimittam te, non deseram, uel similia: Vel dicit animo decipiendi puellam, Ioannes desponsat te &c. cùm ipse non habeat hoc nomen: uel utitur alijs dubijs uerbis, & dicit, se illa non dixisse animo contrahendi matrimonium, sed ut extorqueret copulam: Et tunc si sequitur copula carnalis, & iudicatur pro matrimonio, arg. ca. per tuas de conditionibus appos. Et ita decidit Hostien. in tit. de matrimonio §. qualiter contrahatur. uer. effuge. Decidit Panor. in c. tua. secundum primum & uerum intellectum, & quoq; Henricus Bohic de sponsalib. Hæc uera sunt in foro iudiciali. In foro autem pœnitentiali, si fuit confessus, se nunquàm consensisse, per talia uerba non iudicatur pro matrimonio, ut notant præallegati Doctores, Aut copula non est secuta, & tunc, si constat de mente contrahentium,

quòd

quòd ſcilicet animo contrahendi, hæc uerba protulerint, & eſt matrimonium, uide Doctores in d. c. tua. de ſponſalib. Et Do. Iaſo, in l. Titia, de uerbo. obligat.

DE CAVSA FORMALI.

CAuſa formalis matrimonij ſunt ipſa uerba uel ſigna, quibus conſenſus, qui eſt cauſa efficiens, probatur, Secundum gloſſ. & quæ ibi notat Panor. in c. tua. in uerbo nec forma. de ſponſal.

DE CAVSA MATERIALI.

CAuſa materialis matrimonij eſt conſenſus cõtrahentium, unà cum uerbis & ſignis, quibus cõſenſus probatur. Et ſic apparet, quòd cauſa efficiens, & cauſa formalis coniunctæ, conſtituunt cauſam materialẽ, ut habetur per glo. & Panor. in d. c. tua. in uerbo nec forma.

DE CAVSA FINALI.

CAuſæ finales ſunt duplices, Principales & Secundariæ.

Principales cauſæ duæ ſunt: Prima eſt, Procreatio ſobolis: Secunda, Vitatio fornicationis.

Prima habet ortum in Paradiſo, ante peccatum. Secunda extra Paradiſum poſt peccatum, ut habetur in c. ſicut. §. his ita. 32. q. 2. Vbi dicit text. Prima inſtitutio coniugij in Paradiſo facta eſt, ut eſſet immaculatus thorus, & honorabiles nuptiæ, ex quib. ſine ardore concupiſcentiæ conciperent, ſine dolore parerent. Secunda, propter illicitum motum eliminandum extra paradiſum facta eſt, ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis, honeſtate exciperetur coniugij, Vnde Apoſtolus ad Corinthios ſcribens ait: Propter fornicationem uitãdam, unuſquiſq; habeat ſuam uxorem, & unaquæq; ſuum uirum.

Secundariæ autem cauſæ ſunt multæ, ſcilicet, perſonarum coniunctio, amicorum & diuitiarum acquiſitio, pacis reformatio, uxoris pulchritudo, & ſimilia. c. 2. de deſpon. impub. Vide Hoſtien. in tit. de matrimonijs §. & quare contrahatur. in prin.

DE EFFECTIBVS.

EFfectus nuptiarum licitarum publicarum ſunt, quòd habentur pro legitimis matrimonijs, contrahentes ſunt mariti & uxores, debetur dos & donatio propter nuptias. Liberi ex talib. nuptijs procreati, ſunt legitimi, & in parẽtum poteſtate, admittuntur q̃ ad ſucceſsionẽ.

d. §. Si aduersus, sumpto argumento à contrario sensu, Instit. de nuptijs, cum similibus.

DE LEGITIMATIONE
ex matrimonio.

QVia suprà diximus, licitarum nuptiarum effectus esse, quòd filij inde nati, sint legitimi: Igitur de legitimatione matrimoniali pauca dicemus. Et primùm, quòd non tantùm illi liberi legitimi sunt, qui constante matrimonio, sed etiam, qui ante matrimonium nati sunt. Dic ergo: Quòd omnes, qui nati sunt extra matrimonium, ex duabus liberis personis, quæ tempore partus potuissent matrimonio iungi, & postea iuncti sunt, per subsequens matrimonium ita fiunt legitimi, ac si constante matrimonio nati essent. Igitur per subsequens matrimonium, & legitimationem inde secutam, acquirunt omnia iura, quæ debentur liberis, constante matrimonio natis. c. tanta est uis. cum ibi notatis, qui filij sint legitimi.

Quod autem dico, de duabus liberis personis: tu intellige de solutis, quæ scilicet sunt extra coniugium, non distinguendo, siue sint liberæ, siue seruilis conditionis. Nam & liberi ex ancillis nati, æquè legitimantur per subsequens matrimonium, ac si essent ex libera nati. Nec est opus manumissione ancillæ uel liberorum. §. si quis autem. in Auth. ut liberti de cætero aureo non indigeant annulo &c. col. 6.

Quod dico, quæ tempore partus potuissent iungi &c. tu sic intellige, quòd si tempore conceptionis impedimentum aliquod temporale obstat, quod tempore partus desijt esse, tunc is, qui tempore impedimenti conceptus, & eo sublato natus est, per subsequens matrimonium legitimari potest. Secus si impedimentum tempore partus etiam durauit, tunc proles per subsequens matrimonium non potest legitimari.

Exemplum.

Si uir habet alterius mariti uxorem pro concubina, & procreat inde filium, si maritus istius mulieris tempore conceptionis uiuit, & tẽpore partus mortuus est: poterit iste filius per subsequens matrimonium legitimari. Si autem tempore partus uiuit, non procedit legitimatio. Est econtra, si maritus habet rem cum soluta, uiuente uxore sua, si tunc uxor uiuit tantùm tempore conceptionis, & tempore partus est mortua, sine machinatione tamen, poterit proles per subsequens matrimonium legitimari. Secus, si hoc impedimentum etiam tempore partus subest.

Aliud exemplum.

Si

Si Christianus extra matrimonium habet rem cum infideli muliere, si illa mulier tempore conceptionis est infidelis, & tempore partus est conuersa, legitimatur proles per subsequens matrimonium. Secus si tẽpore partus est infidelis. Hæc probantur per textum, cum ibi notatis, in d.c.tanta, qui filij sint legitimi. Et in l.nuper.in fine, C. de naturalib. liberis. Vbi dicit Bald. Nota mirabilem regulam, quòd ad sciendum, utrũ quis sit legitimè natus, non inspicitur tempus conceptionis, sed partus. Et facit ad hoc tex. in c. super hoc. & c. significasti. de eo qui duxit in matrimo. quam per adulterium polluit. Et sic patet ex prædictis, quòd conceptus & natus in adulterio non legitimatur, etiam per subsequens matrimonium, licet alter ignoraret se adulterium cõmittere, sed putat personam, cum qua peccat, liberam esse. In hoc tamen casu Canonistæ in d. c. tanta. distinguunt hoc modo: Aut hoc adulteriũ committitur in matrimonio, ut quòd solutus contrahit cum coniugata, quam putat solutam, & tunc liberi constante matrimonio, tempore ignorantiæ nati, sunt legitimi. Aut non committitur in matrimonio, & tunc, si impedimẽtum durauit tempore partus, & legitimari non possunt, etiamsi altera pars ignoret adulterium committi. Aut fuit sublatum, & possunt, per suprà dicta Iura. Et est ratio diuersitatis: Quia, contrahens matrimonium, dat operam rei licitæ. Ideò propter ignorantiam excusatur. Sed extra matrimonium, dat sciens operam rei illicitæ. Igitur nulla ignorantia allegari potest. Vide Panor. in d.c.tanta. Quod autem ad effectum legitimationis attinet, non attenditur quo tempore matrimonium contrahatur. Nam si quis habens concubinam, & ex ea liberos, in articulo mortis, seu in extremis contrahit cum ea, ualet matrimonium, & liberi antè nati per hoc fiunt legitimi. Vide Bald. & Salice. in l. nuper. cum apostillis ibi appositis. C. de naturalib. liberis.

Et eadem ratione, si quis primùm habuit concubinam, & ex ea liberos, & postea illa concubina uiuente, contrahit matrimonium cum alia: poterit, illa mortua, cum priori concubina contrahere. Et per hoc liberi ex ea nati fiunt legitimi. Hoc colligit Panormitanus ex textu in d.c.tanta. ubi dicit: Ex hoc inferunt, quòd si habens filios ex Cõcubina, contrahit cum alia muliere, & ea mortua contrahat cum concubina, quòd filij legitimantur, non obstante matrimonio intermedio. Ita decidit Ioannes Andre. in cap. sine culpa. de regulis iuris. in 6. in Mercurialibus.

Et licet de Iure Ciuili tantùm dicebantur liberi naturales, qui nati erant ex concubina retenta, in domo loco uxoris, & legitimationis capaces erant, Alij autem etiam ex duabus solutis personis nati non item: Tamen de Iure Canonico per subsequens matrimonium omnes legitimãtur, qui ex duabus personis liberis nati sunt, qui tempore partus potuissent contrahere. Nec attenditur hodie ad concubinatum, *Liberi naturales.*

qui ſimpliciter eſt damnatus, ut ſuprà dixi. Vide Panormitanum in d. c. tanta. Nec etiam hodie, quod ad legitimationem attinet, requiruntur inſtrumenta dotalia, cùm in matrimonio de neceſsitate non requirantur. §. illud. in Authen. quibus modis natura. effician. legitimi. Et notãt Doctores in d. c. tanta.

Quòd autem talis legitimatio, quæ per ſubſequẽs matrimonium fit, habeat ſuos effectus, quo ad omnia, quę liberis in matrimonio natis debentur, decidit gloſſ. in d. c. Tanta. in uerbo legitimi, quę eſt approbata. Hinc ſequitur, quòd tales liberi etiam ſuccedunt in feudis.

Nec obſtat textus in c. unico. §. naturales. Si de feudo fuerit controuerſia. Quia feudiſtæ ibi intelligunt illum textum de legitimatione, quæ fit per reſcriptum Principis. Secus in legitimatione, quæ fit per ſubſequens matrimonium. Quia matrimonium fingitur retrò fuiſſe contractum, adeò quòd liberi antea nati, habendi ſint, ac ſi conſtanti matrimonio producti eſſent. Omnis enim macula per matrimonium ſequẽs purgata eſt. l. cum quis. cap. de naturalibus liberis. cum ſimilibus.

Legitimationis probatio. Et nota, quòd ad probandam legitimationem liberorum ſatis eſt probare, quòd opinio uiciniæ habeat, parentes illorum fuiſſe coniunctos legitimè, uide c. per tuas. & quæ notant Doctores ibi. qui filij ſint legitimi.

Sunt & alij modi legitimandi, ut per reſcriptum Principis, per dationem curiæ &c. de quibus, & de hac tota materia, uide tractatum legitimationum Anto. de Roſellis, 1. Volum. Tractatum Ludo. à Sardis. 2. Volum. & tractatum Ioannis Brunelli de ſponſalibus, 7. Volu. Et tantũ de definitione, diuiſione, cauſis, & effectibus matrimonij. Nunc dicemus, quibus modis matrimonia contracta diſſoluantur.

DE DISSOLVTIONE matrimonij.

SOluitur autem matrimonium duobus modis, per Mortem, & per Diuortium.

DE MORTE.

Mors eſt duplex, Ciuilis & Naturalis.

DE MORTE CIVILI.

Vxoris priuilegia. CIuiliter mortui ſunt, deportati, banniti, & ſimiles, & hæc mors non ſoluit matrimonia, Imò uxor tenetur bannitũ uel deportatũ ſequi. Habet tamen uxor iura & priuilegia uiduæ, quo ad dotẽ, Igitur dotẽ repe-

tere

tere poteſt,ſi mariti bona ſunt publicata,uel alioqui uergit ad inopiam, & de dote tenetur alere maritum bannitum uel deportatum. Vide text. in l.1.cum ibi not.per doctores. C.de repudijs. Et in c.inter alia.de ſententia excommunica.Bart.in l.ſi conſtante. ff.ſoluto matrim. ideo non opus eſt multa de his diſputare.

DE MORTE NATVRALI.

QVòd per mortem naturalem matrimonium ſoluatur,non eſt dubium,quia Paulus dicit: Mortuo uiro uxor ab eius lege ſoluta eſt,nubat ergo in domino. Quòd ergo altero coniuge mortuo alter ad ſecundas nuptias conuolare poſsit,certum eſt,ſi de morte conſtat: ſi autem non conſtat,neceſſe eſt,ut is,qui mortem allegat,& ſecundas nuptias quærit,probet mortem. Quilibet enim uſq; ad centeſimum annum uitæ ſuæ uiuere præſumitur,niſi probetur quòd ſit mortuus,ut infrà dicemus. Dicendum eſt ergo de probatione mortis naturalis,circa quã dic: *Mortis naturalis probatio.*

Aut abſens dicitur mortuus in loco,de quo non poteſt probari liquidè,ut in bello,inter multa millia hominum, in conflictu. Et probatur mors per coniecturas,per communem opinionem & famam. Idem dic: ſi nauis,in qua nauigauit, naufragium paſſa eſt. arg.l.Non omnes.§.à barbaris.ff.de re militari.

Aut non dicitur mortuus in tali conflictu,Et dic: aut abfuit tanto tẽpore,quòd iuncto tempore abſentiæ cum eius ætate, perficeretur tempus centum annorum,& quoq; eius mors probata cenſetur, quia eſt lõgiſsima uita hominis. Authen. Quas actiones. C.de ſacroſ.Ecc.

Aut non abfuit tanto tempore,& tunc mors probari non poteſt,niſi per nuncium certum,de morte uiri,ut puta per dominum ſub quo militauit,uel per ſocium ſuum bonæ famæ & honeſtum, qui aſſerat ſe uidiſſe eum mortuum,& ſi coram Epiſcopo Iuramẽto firmauerit is, permittitur præſenti alij nubere.c.ſi.de ſecund.nupt. Et in hoc caſu loquitur tex.in c.in præſentia de ſponſa. Et in c.Dominus.de ſecũdis nuptijs. Ita decidunt Panormitan.& Andre.Barba.in c.quoniam frequenter.§.ſi autem.ut lite non conteſtata. Et Doctores in dicto cap. in præſentia.

DE DIVORTIO.

DIcitur autem diuortium ſeparatio mariti & uxoris,cum cauſæ cognitione apud competentem iudicem, & habet nomen à diuertendo.

Dico autem in definitione,mariti & uxoris,ad differentiam illorum, qui contrahunt inceſtas ſiue inutiles nuptias, quia illi contrahentes non ſunt mariti & uxores. Igitur non eſt opus diuortio,ubi nullum fuit ma-

trimonium : Priuatio enim præsupponit habitum.l.Decem stipulatus. ff.de uerbo.oblig.

Secūdò dico, cum causæ cognitione,& apud competentem iudicē, ideò,quia licet regulariter in causis matrimonialibus processus Iuris nō semper obseruetur,c.quoniam frequenter ¶. porrò ut lite non contest. tamen quando agitur de matrimonio dissoluendo, processus iudiciarius,cum sufficienti causarum probatione,strictissimè seruandus est. c.seculares.& c.historia.33.q 2.Igitur si uxor ante causæ cognitionem propria autoritate expulsa fuerit,ante omnia restituenda est.d.c.Historia. cum c.sequenti.

Processus iuris in diuortio obseruandus.

Sed tamen in his duabus quæstionibus, an scilicet uxor propria autoritate,sine causæ cognitione dimitti posit : Item,si propria autoritate fuerit expulsa,an debeat restitui : Distingue,quod attinet ad primam quæstionem : Aut quæris,an posit dimitti tantùm quo ad thorum , & debitum : Aut uerò,an posit dimitti, quo ad thorum & cohabitationē simul.

An diuortium sine causæ cognitione fieri possit.

Primo casu dic: Aut constat de fornicatione uxoris uel mariti,& poterit maritus uxorem,& ccontrario uxor maritum propria autoritate dimittere,& debitum denegare. Quia si coniunx innocens nocenti,uoluntariè debitum redderet,amitteret ius accusandi coniugem nocētem propter adulterium,& esset reconciliatio, propter quam matrimoniū, quod adulterij causa dissolui debebat,reintegratum esset: Si autem coniunx innocens per censuram Ecclesiasticam compelleretur , ut nocenti reddat debitum,potius excommunicationem ferre,cū nocenti debitum reddere debet. Idem dic,si constat coniugem esse cognatum uel affinem in gradu prohibito. Vide de hoc quæ habentur & notantur in c.literas. de restitut.spolia.c.porrō.& c. signifi.cum ibi notatis de diuor.

Aut fornicatio,cōsanguinitas,siue affinitas coniugis nō est notoria. Et dic : Aut ipse maritus,uel uxor,pro certo scit adulteriū, cōsanguinitatem,uel affinitatem coniugis,& non debet reddere debitum, sed potius excōmunicationem ferre. Aut nō scit pro certo,nec etiā habet probabiles rationes credendi,& tenetur reddere debitū,uide c.inquisitionis de sent.excom. Et tantum de dimissione,quo ad thorum & debitum.

Secundo casu,quando scilicet quæritur de dimissione , quo ad cohabitationem,& certum est,quòd coniunx coniugem sine iudicio Ecclesiæ dimittere non potest , nisi coniunx publicè moretur cum adultero,uel adultera,uel nisi post dimissionem adulterium commiserit,per iura iam proximè allegata,& quæ ibi notantur.

Quod uerò nunc ad secundam quæstionem attinet,scilicet an uxor, uel maritus propria autoritate expulsa uel expulsus propter adulterium,restitui debeat,& dic : Aut adulterium est notorium,& impedit restitutionem,aut occultum , & non impedit d.c.significasti.de diuort.

Reputa.

Reputatur autem notorium, quando infra octo dies probari poteſt: ſi autem infra octo dies non poteſt probari, non reputatur pro notorio. c. ſolet. de ſent. excommu. in 6. Prima tamen dies non computatur in hos octo dies. c. pia. de Exceptio. in 6. Prædicta autem uera ſunt, ſi alter coniugum innocens manſerit: ſi autem quoq; fornicetur, cogitur recipere coniugem dimiſſam propter adulteriũ. d. c. ſignificaſti. in fi. de diuort.

Fit autem diuortium ex quatuor cauſis.

I. Propter adulterium.
II. Propter infidelitatem.
III. Propter impotentiam coëundi.
IIII. Propter continuas inſidias coniugis.

DE ADVLTERIO.

ADulterium, ſecundum Ius Canonicum, dicitur fornicatio mariti et uxoris. Et dico ideò, ſecundum ius Canonicum, quia de Iure ciuili, adulterium definitur, quòd ſit acceſsio ad alterius thorum, & ſic tantum eſt adulterium, quod in nuptam, & alterius uxorem committitur, non diſtinguendo, ſiue maſculus ſit ſolutus, uel cõiugatus. Si autem mulier non eſt nupta, nec uxor alterius, non committitur de Iure ciuili adulterium, etiamſi maſculus eſt maritus & habet uxorem. Igitur ſi maritus habet rem cum uirgine, uel uidua honeſtè uiuente, adulterium non eſt, ſed ſtuprum, de Iure ciuili. Vide l. i. C. de adult. Sed de iure Canonico omnis fornicatio coniugum, ſiue fiat cum ſoluta, ſiue coniugata, adulterium dicitur, quo ad hoc, ut pars innocens poſsit petere diuortiũ, ideò ſi maritus habet rem cum publica meretrice, quæ non eſt coniugata, poterit uxor petere diuortium Matth. xix. Vide notata in d. c. ſignificaſti. & in c. ex Literis. de diuortijs.

Adulterium autem, quo ad hoc, ut diuortium impetretur, probatur hoc modo: Quando ſcilicet quis probat, uirum cum muliere fuiſſe, ſolum cum ſola, nudum cum nuda, in eodem lecto iacentem, ea, ut credebatur, intentione, ut eam cognoſceret, uel quòd uiſi ſint in multis locis ſecretis & latebris ad hoc commodis, & horis electis. Nam ex huiuſmodi uiolenta & certa ſuſpicione fornicationis, poteſt ſentẽtia diuortij promulgari. c. literis. de præſumptio. *Adulterij probatio.*

Quomodo autem probetur fornicatio, quo ad hoc, ut matrimoniũ contrahendum ratione affinitatis impediatur, uide text. in c. præterea. de teſtibus. in c. Tertio loco. de præſumptio.

Sunt tamen quidam caſus, in quibus uxor adultera non poteſt accuſari à marito, nec peti diuortium.

Primus eſt, ſi maritus quoque conuincitur de fornicatione & adulterio, & tunc, quo ad ipſos, fit criminis compenſatio. d. cap. ſignifi-

casti.in fin.de diuortijs. Et 32.quæstion.6.per totum.

Secundus, si maritus ipse prostituit eam. c.Discretionem,de eo qui cogno.consang.uxo.suæ.

Tertius, cùm uxor uirum credens defunctum, nupsit alij. Quia maritus prior tenetur eam recipere, non obstãte adulterio, nisi scienter, post reditum primi, apud eum permanserit. c. cùm per bellicam. c.si uirgo. 34.q.2.c. Dominus.de secun.nup.

Quartus, si cognita fuerit ab aliquo, quem credebat esse proprium maritum, arg.c.in lectum.34.q.2.

Quintus casus est, si uxor fuerit ui oppressa.l.fœdissimã. C.de adulter.l.uim passam.ff.de adul.c.propositio.32.q.5.de hoc tamen intellige de ui absoluta, non de leuibus minis.

Sextus est, quando adulteram reconciliauit sibi post adulterium commissum, uel eam publicè adulterantem retinet in consortio maritali.32.q.1.per totum.l.crimen.C.de adulter.

Septimus est, si infidelis fidelem dimittit, dato sibi libello repudij, & illa nupserit alij, & postea uterq; cõuertatur ad fidem, tenetur prior eam recipere, non obstante infidelitate.c. gaudemus.de diuortijs.

DE INFIDELITATE.

SEcunda causa est, quando alter coniugum infidelis fuerit. In hoc tamen distingue: Aut ab initio matrimonij uterq; erat infidelis: Aut uterq; erat fidelis, & matrimonio constante alter lapsus est in heresin, uel gentilitatem.

Primo casu dic: Aut quæris, utrum conuersus ad fidem statim possit infidelem relinquere. Et distingue: Aut infidelis est gentilis, & non Iudæus, & non statim relinquere debet, si infidelis uoluerit cohabitare. Et ita secundum Canonistas intelligitur sententia Pauli.1.Corinth.7. Aut infidelis est Iudæus, Et distinguunt Doctores: Aut maritus est Iudæus, uxor Christiana, & statim potest uxor relinquere maritum, quia Iudæi habent legem & Prophetas, quibus muniti & parati sunt animas simplicium fallere, nec desistunt à sua pertinacia, quod non est in gentilibus. Vide quæ notantur in cap. Iudæi.28.quæstion.1.

Iudæi.

Aut maritus factus est Christianus, & uxor Iudæa. Et tum, si uxor uult cohabitare, non separentur, cùm mulieres non possint facilè uiros in errorem deducere.d.c.Iudæi.

Salomo. Sed huic decisioni obstat exemplum Salomonis, quem mulieres gentiles seduxerunt ad Idolatriam, ut habetur 3.Reg.11.

Aut quæris utrum conuersus non statim, sed postea infidelem in sua

infidelitate

infidelitate perseuerantē, posit relinquere. Et dic: Aut infidelis uult cohabitare sine blasphemia Christi, & non sunt separandi, per sententiam Pauli, 1. Corinth. 7. Aut infidelis non uult cohabitare, uel cohabitare, nō tamen sine contumelia & blasphemia Christi, & separandi sunt. c. quā. to. uer. si enim alter. de diuort. Et hoc casu sine dubio fidelis, etiam suo coniuge infideli uiuente, iterum potest nubere. per tex. Pau. si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus frater uel soror in eiusmo di. Et est tex. in c. Quanto.

Secundo casu, quando scilicet quæritur de ijs, qui ab initio fuerunt infideles, & alter constante matrimonio lapsus est in hæresin, uel gentilitatis errorem. Et distingue: Aut quæris utrum matrimonium propter hæresin, uel talem errorem in totum posit dissolui, ita, quòd fidelis altero uiuente, habeat transitum ad secundas nuptias. Et dic, quòd non, d. c. Quanto. §. si uerò alter. de diuor. Quidam tamen dicunt, hoc uerum esse, quando matrimonium fuit consummatum carnali copula. Secus si non fuit consummatum. Aut quæris utrum soluatur per separationem thori, & dic, quòd sic. arg. d. c. quanto §. si uerò alter. in uerb. relinquitur.

Tertia causa est, impotentia coëundi, sed de hac suprà copiose diximus in explicatione definitionis. *Impotentia coëundi.*

Quarta causa diuortij est, si alter coniugum alteri continuis insidijs mortē machinetur, secundū Canonistas in c. i. & gl. in c. ij. de diuortijs. *Machinatio.*

Theologi nostri temporis addunt quintam causam, scilicet desertionem, hoc est, si maritus deseruerit uxorem, uel ipsa maritum. In hac causa Canonistæ cum Theologis non conueniunt. *Desertio.*

Sed tu pro intellectu istius materiæ dic: Quando quæritur, utrum coniunx præsens absentem coniugem teneatur sequi, uel expectare donec redeat, distinguendum esse. Aut quæris de sponsa, uel sponso de futuro: aut quæris de sponso, uel sponsa de præsenti, hoc est, de marito & uxore.

Primo casu subdistingue: Aut quæris, utrū sponsa de futuro teneatur sequi sponsum absentem: & responde, quòd non. c. de illis. iunct. glo. in uer. Transferentes. de sponsal. l. 2. C. de repudijs. *An sponsa sponsum absentem teneatur sequi.*

Aut quæris, an præsens teneatur sponsum absentem expectare, nec posit cum alio contrahere, & dic: Aut præsens opponit aliquod impedimentum, propter quod sponsalia inter ipsos cōtracta, sint nulla, ut si opposuit consanguinitatem uel affinitatem, & certum est, quòd procedi posit contra absentem, lite non contestata, siue per contumaciam sit absens, siue non. Quòd autem hoc casu posit procedi, propter contumaciam, est tex. in c. quoniam frequenter §. porrò. Vt lite non contestata. Et quòd contra non contumacem posit procedi, est tex. in Clement. dispendiosam. iunct. glo. in uer. matrimonijs. de iudi. Nec tene-

tur hoc casu præsens sequi absentem, si illud impedimentum probat, & sententiam obtinet.

Aut præsens non opponit tale impedimentum: uel opponit quidē, nec tamen probat, & subdistingue: Aut dissensu partis utriusq; spōsalia soluuntur, ut quia resiliunt à sponsalibus: & neuter alterum tenetur expectare, sed uterq; potest contrahere. c. præterea. el. i. de sponsal. Aut dissensu partium sponsalia non sunt dissoluta, & dic: Aut certum tempus expressum est, ad quod alter alterum debeat expectare ad cōtrahendum de præsenti, & illud tempus expectandum est, per ea, quæ not. in c. sicut ex literis. de spons. Et c. 1. & c. qualiter. de pactis. Nisi fortè fornicationis periculum uerisimiliter timeatur. arg. §. porrò. ut lite non contesta. Aut de tempore inter eos nihil expressum est, & in hoc membro sunt opiniones Io. And. in d. c. De illis. dicit tempus legale, hoc est, triennium expectandum esse. l. 2. C. de repud. Host. distinguit: Aut nulla necessitas excusat absentem, & expectatur per triennium. d. l. 2. C. de repud. Aut necessitas excusat eum, ut ualetudo, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate obueniunt, & expectandus est absens, donec necessitas cesset. l. sæpe. ff. de spons. Et in hoc posteriori membro idem tenet Iac. de Rauen. Cy. & Bal. in d. l. 2. C. de repudijs. Addit tamen Host. si matrimonium nimium protraheretur, & esset periculum de fornicatione, quòd possit præsenti per Ecclesiam subueniri, per ea, quæ not. in c. Iordane. de eo qui cogno. consang. uxo. suæ. si tamen contraheret cū alio, infra tempus legale, ualeret matrimonium. d. c. De illis. & c. penul. de sponsa.

Triennij expectatio tempus legale.

Tu post Panor. hoc modo in hac quæstione distingue: Aut quæris de nuptijs iam contractis, post sponsalia de futuro: Aut quæris de alijs nuptijs contrahendis post illa sponsalia.

Primo casu non est dubium, quin secundæ nuptiæ contractæ ualeāt, & est impune, si nullum iuramentum in prioribus sponsalibus de futuro, interuenerit. Si autem iuramentum interuenit, pœnitentia propter uiolatam fidem imponenda est. per tex. in c. penul. de spons.

Aut quæris de alijs nuptijs contrahendis, & dic: Aut sponsus uel spōsa post contracta sponsalia de futuro transfert se ad alias partes, & tunc, si absens breui est reuersurus, & tenetur præsens expectare donec redeat, secundum Panor. in d. c. De illis.

Aut non est breui reuersurus, & tunc præsenti liberum est contrahere cum alio: si tamen sponsalia iuramento uallata fuerint, & stetit primū per præsentem, quò minus matrimonium consummaretur, tunc imponatur ei pœnitentia, & sic non habent locum ll. Iuris ciuilis. Ita in effectu decidit Panor. in d. c. De illis. Et tantum de sponsalibus de futuro.

Quando autem quæritur de sponsis de præsenti, hoc est, de marito & uxore, & dic: Aut quæris, an uxor teneatur sequi uirum absentem:

aut

aut quæris, an teneatur ipsum expectare. Primo casu subdistingue:

Aut maritus uult uxorem trahere ad infidelitatem, & tunc non tenetur eum sequi. c. quæsiuit. & c. quanto. de diuortijs. Et est gloss. in c. i. in uerbo, sequatur. de coniug. leproso. Aut non uult eam trahere ad infidelitatem, & tunc, Aut uir recedit ex honesta causa, ut quia fit præpositus uel officiarius alicuius domini, & si hoc casu recedit, cum proposito non redeundi, uel saltem ad longum tempus, & tenetur eũ sequi. c. unaquæq; 13. q. 2. Et nota in c. fin. de parochijs, gloss. in c. si quis ineuitabili. 34. quæst. 2. Aut cum proposito redeundi citò, & non tenetur eum sequi.

Aut recedit ex causa inhonesta, ut quia criminosus, bannitus, uel ioculator, & tunc si recedit ex ineuitabili necessitate, puta propter homicidium per ipsum perpetratum, & tenetur eum sequi, secundum glo. & quæ ibi not. in c. i. in uer. Exiuit. Qui matrimo. accusa. poss.

Aut recedunt sine necessitate, ut quia sunt ioculatores, uel uagabundi, & dic: Aut maritus ante contractum matrimonij non erat talis, sed constante matrimonio cœpit esse talis, & uxor non tenetur eum sequi, secundum gloss. in d. c. unaquæq;. 13. q. 2. & d. c. si quis necessitate. 34. q. 2. Host. & Panor. in d. c. peruenit, de coniug. leproso.

Aut ante matrimonium erat histrio uel uagabundus, & dic: Aut fuit pactum in ipso contractu matrimonij, quòd maritus in certo aliquo loco habitare debeat cum uxore, & tunc si aliqua causa necessaria superuenit, qua impediente, maritus ibi commodè remanere non possit, puta propter inimicitias capitales, uel incommoditatem aëris, uel aliud simile, quod iudicis arbitrio relinquitur, & tenetur uirum sequi, quia hoc casu pactum inciperet esse contra legem, ut contra d. c. unaquæq;. 13. q. 2. Si uerò talis causa non superuenit, & pactum seruandum est, nec tenetur eum sequi. l. i. C. de pact. conuen. Et ita decidit Hostien. in summa sua. §. Et an consensus. uer. argumen. in tit. de coniugi. seruo. Aut tale pactum non fuit interpositum in ipso contractu, & tunc, Aut ista mulier tempore contractus matrimonialis sciebat conditionem ipsius esse talem, & tenetur eum sequi. Quia mores semel approbati, amplius reprobari non possunt. l. si uxor. §. fi. de adul. Aut mulier tempore contractus nesciebat conditionem ipsius esse talem, & non tenetur eum sequi, secũdum glo. in d. c. unaquæq;. & d. c. si quis necessitate. & Panor. in d. c. de illis. Quando autem quæritur, utrum maritus teneatur sequi uxorem, & conclude quòd non, nisi ex causa lepræ, uel alia iusta & ineuitabili causa se absentet. ut not. in d. c. peruenit. de coniug. lepr. Et uide de tota hac materia Henr. Bohic in d. c. de illis. de sponsa. Et tantum de hac questione: An & quando uxor teneatur sequi maritum absentem. Nunc dicemus quando maritus teneatur expectare uxorem absentem, & è contra. Et dic breuibus:

An coniunx cõiugem absentẽ teneatur expectare.

Aut alter coniugum est absens non malitiose, & tunc, si citari nõ potest, ut puta, quia captiuitate uel ægritudine detinetur, uel in remotis partibus degit, & dic:

Aut præsens uult agere contra absentem, fortè ex causa adulterij, uel desertionis, & omnino non est audiendus, per text. §. si autem. ut lite nõ contesta. sumpto argumento à minori ad maius.

Aut præsens uult agere contra absentem, propter impedimentum aliquod, ut quia uult opponere consanguinitatem, uel affinitatem, qua probata, cohabitare non possint, Et dic:

Aut absens etiamsi uellet redire, non auderet, puta, quia homicidium perpetrauit, & tunc admittitur præsens ad receptionem testium super tali impedimento, lite non contestata, contra absentem. c. i. & quæ ibi not. qui matrimo. accusa. poss.

Aut absens auderet quidem redire, si modò posset, & etiam in hoc casu contra absentem procedi non potest, lite non contestata, cùm fortè habeat legitimas exceptiones, ad elidendam intentionem contrariam. Nec obstat, si obijceretur periculum fornicationis, quia tex. in d. §. si autem, respondet, Quòd in coniugijs multa occurrunt, in quibus coniuges sine culpa, licet non sine causa, continere cogantur. Igitur expectandus est absens, nisi uerisimiliter constet de morte ipsius, per tex. d. §. si autem. ut lite non contest. & c. Dominus. de secund. nuptijs.

Aut abest omnino malitiose, sine aliqua rationabili causa, uel abest per contumaciam, & distingue: Aut præsens proponit impedimentum contra matrimonium, ut gradum aliquem consanguinitatis uel affinitatis, in quo matrimonia contrahi non possint, & procedi potest contra absentem ad testium receptionem, & sententiam definitiuã, lite non contestata, per text. in c. Quoniam frequenter §. porrò. ut lite non contest. Et si hoc impedimentum fuerit probatum, permittitur ei conuolare ad secundas nuptias. per tex. in c. perlatum. qui filij sint legiti. Aut præsens non opponit aliquod impedimentum, sed uult agere contra absentem propter adulterium, uel desertionem. Et dic:

Aut non dubitatur de uita, sed constat quòd uiuit, & contraxit auto ritate Ecclesiæ, & liberi ex tali matrimonio nati, propter autoritatẽ Ec clesiæ censentur legitimi, per tex. in c. perlatum, secundum 4. lecturam. Qui filij sint legitimi.

Aut præsens non contraxit propter desertionem, sed uult contrahere, & petit licentiam contrahendi ab Ecclesia. Et in hac quæstione inter iureconsultos & Theologos non conuenit, an debeat permitti ut contrahat, uiro uiuente, & absente malitiose, uel per contumaciam.

Canonistarum sententia de Desertoribus.

Canonistæ decidunt, quòd contrahere non debeat præsens, donec constet uerisimiliter de morte absentis, allegant ad hoc tex. in d. c. In præsentia. de spons. & in d. c. Dominus. de secund. nupt. Vbi dicit tex.

Sanè

Sanè ſuper matrimonijs, quæ quidam ex uobis, nondum habita obeuntis coniugis certitudine, contraxerunt: id uobis reſpondemus, ut nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac uita migrauerit coniunx eius. Idem tenent Innocent. Pan. & Præpoſ. in d. c. Dominus. & in c. Quoniam frequenter. §. Sin autem. Bald. & Andre. Barba. ibi. Sunt enim hæc ipſorum uerba in effectu. Nota quòd ſola abſentia coniugis, quantũcunq; diuturna, non præſtat cauſam legitimam ſeparandi, etiamſi uxor dicat, ſe amplius continere non poſſe, & facit tex in Authen. hodie. C. de repudijs. Idem ſentiunt Canoniſtæ in c. quanto. de diuortijs.

Theologi noſtri temporis contrà ſentiunt, quòd ſi alter coniugũ malitioſe abſuerit, & ſæpius monitus per edicta, redire, & cohabitare noluerit, quòd præſenti poſsit per Eccleſiam permitti, ut iterum contrahat cum alio, allegant ad hoc tex. 1. Corinth. 7. ubi dicit Paulus: Si infidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, uel ſoror in eiuſmodi. *Theologorum ſententia de Deſertoribus.*

Secundò allegant, quòd ſcilicet innocens pars ſine ſua culpa, & ſine cauſa priuaretur iure ſuo, quod fieri non debet. c. diſcretione. §. Nam etſi. de eo qui cogn. conſang. uxor.

Canoniſtæ reſpondent ad illum locum S. Pauli, quòd non loquatur indiſtinctè de qualibet deſertione, ſed tantũm de deſertione infidelium, hoc eſt, quãdo infidelis deſerit fidelem, quia Paulus loquitur de tali matrimonio, quod contractum eſt, eo tempore, quando uterq; coniugum fuit infidelis, & conſtante matrimonio, alter conuerſus eſt, tunc, ſi alter coniugum diſcedit, quòd fidelis ſit liber ab illo matrimonio. Secus autem, ſi Chriſtianus deſerat Chriſtianam. Et ratio diuerſitatis eſt, quòd Eccleſia in fidelem, qui uxorem deſerit, habet coërctionem, & poterit eum cogere ad cohabitandum, quæ ratio ceſſat in infideli. Sunt & aliæ rationes, quas uide in cap. Quanto. cum ibi notatis. de diuortijs.

Theologi huic reſtrictioni opponunt tex. 1. Timoth. 5. ubi Paulus dicit: Si quis ſuorum, maximè domeſticorum, curam nõ habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior, quare uidetur, quòd is, qui baptiſatus eſt, & uxorem ſuam malitioſe deſerit, nec eius curam habet, multò minus expectari debeat, quàm infidelis, quum ſit infideli deterior. Et facit pro hoc tex. in l. de acceſsionibus. §. Nam qui me potior eſt. ff. de diuerſ. & tempora. præſcriptio. Et quod not. in Auth. Defunct. C. ad S.C. Tertull. ubi habetur Regula, Si uinco uincentem te, multò magis te uinco. Quæ regula ibi affirmatiuè traditur. Ergo negatiuè eadem ratione procedit, ſcilicet, ſi infidelem malitioſe abſentem expectare nõ teneor, multò minus teneor illum expectare, qui infideli deterior eſt, & ſic perfidia ſuperat infidelem. Et reſpondent ad c. quanto. Quòd hæc reſtrictio &

ratio

ratio diuersitatis non procedat, quia Paul. præsentem non pronunciat liberum, ideò quia coniunx absens infidelis est, quum inter fideles & infideles possit esse coniugium, ut ibi habetur, sed ideò quia discedit. Quũ ergo diuersitas religionum non sit causa istius diuortij, sed discessus, nõ apparet ratio, quare malitiosus & talis discessus, ubi non constat de animo redeundi, in infidelibus plus debeat operari, quãm in fidelibus.

Item responderi potest ad iura per Canonistas adducta, quòd nõ loquantur de desertione malitiosa, sed de absentia ex causa, ut quia coniunx est in captiuitate, uel bello &c. ita expresse habetur in d.c. In præsentia. nec apparet ibi quicquàm de malitiosa absentia. Quòd autem d. c. Dominus. de secun. nup. quoq; loquatur de tali & non malitiosa absentia, colligũt ibi Innoc. Panor. & Præpos. Et licet uideatur, quòd tex. in d. c. quanto. loquatur in tali casu, dum dicit: Nec obstat, quòd à quibusdam forsan obijcitur, quòd fidelis relictus non debeat iure suo sine culpa priuari: tamen si probè inspiciatur, uidetur quòd hunc casum nõ comprehendat, quia d. c. quanto. decidit tantùm de duob. casib. scilicet, si duo infideles cohabitant, quorum alter conuertitur, alter non, & infidelis non uult cohabitare, an fidelis sit liber. Secundus casus est, si duo fideles cohabitant, quorum alter labitur in hæresin, uel gentilitatis errorem, quid iuris sit. Et sic tantum ibi habetur de desertione propter diuersitatem religionis, nõ autem de ea desertione, quæ omnino sine ulla causa, tantum ex malitia fit, & sic uidetur, quòd non extet aliquis certus expressus text. in Iure Canonico, quòd præsens teneatur expectare eũ, qui diu malitiose abest. Imò uidetur quòd tex. iuris Canonici magis inclinent, quòd præsens malitiose absentem & redire nolentem, expectare non teneatur. Hoc uidetur probari per tex. in §. si autem. ut lite non cõtest. Quia tex. expresse decidit, quòd is absens sit tantũm expectandus, qui non malitiose, sed sine sua culpa absens est, ut quia captiuitate, uel ægritudine, uel alio impedimento impeditus. Ergo, à contrario sensu, is non est expectandus, qui sua culpa & malitiose abest, sicuti quoq; disputat D. Præpo. in d. c. perlatum. Quod argumentum in iure est ualidissimum, si modò ex eo non resultat iurium correctio, ut no. D. Iason in l. qui Romæ §. duo fratres. ff. de uerb. obl. Et hic nulla sequitur iuriũ correctio, quum nusquam expresse reperiatur Iure cautum, quòd præsens malitiose absentem expectare cogatur.

Secundò uidetur de hoc tex. expressus in d. c. perlatum. Qui filij sint legit. ubi est casus: Quòd quidam maritus abfuit per decennium, uxor apud Episcopum querelam proposuit, dictitando se diutius eum expectare non posse: Episcopus mandauit parentibus mariti, ut ipsum domum reuocarent, maritus reuocatus non redijt, propterea Episcopus tulit sententiam diuortij, & dedit uxori potestatem nubendi alij, & deciditur, quòd liberi ex tali matrimonio nati, sint legitimi: quare uidetur

quõd

quòd matrimonium ualuerit. Primùm ideò, quia narratur ibi, quòd Episcopus in tali processu fuerit prouidus & discretus, quod non diceretur, si iniustè dedisset facultatem nubendi. Secundò, si matrimonium non ualuisset, utiq; fuisset expresse improbatum, uidetur autem approbatum eo ipso, quòd liberi ex eo nati sunt pronunciati legitimi. Et licet is textus secundum dd. & præsertim Panor. habeat quinq; intellectus: tamen secundus intellectus, qui est Ioan. And. & Host. ut refert ibi Præpositus, concordat cum hoc, quorum dd. autoritas magna est. Idem uidetur sentire gl. ibi, in uer. parentibus. dum dicit: Nõ potuisset hoc modo procedi, nisi per contumaciam se absentasset.

Nec uidetur obstare glo. ibi in uer. promulgauit. Et quæ not. dd. qui allegant sententiam diuortij idcò latam esse, quia uxor contra contumacem probauit impedimentum perpetuum, scilicet causam consanguinitatis & affinitatis &c. Quia secundum Io. And. & Host. ut refert Præpositus, hæc suppletio est diuinatio, cùm ne uerbo quidem in textu mentio facta sit ipsius impedimenti, sed dicitur ibi simpliciter, quòd uxor coram Episcopo proposuit querelam, & quòd eum non potuerit amplius expectare. Et allegant Ioan. And. & Host. ut refert Præpositus, hanc fuisse causam querelæ, quòd stimulis carnis resistere non potuisset. Præterea si hoc impedimentum consanguinitatis uel affinitatis fuisset causa querelæ, nõ opus fuisset allegare, quòd ipsum expectare diutius nõ posset, sed potuisset contra malitiose absentem statim procedere, per textũ expressum in §. Porrò. ut lite non contest. Quare uidetur, quòd tale matrimonium ualeat.

Relatæ iam sunt duæ opiniones: Nostrum autem non est decidere, & pro certo statuere in hac ardua & disputabili quæstione. Hoc tamen dici potest, quòd etiam de iure Canonico non est iudicanda pro adultera, quæ maritum diu malitiose absentem non expectauerit, sed autoritate Ecclesiæ alij nupsit, modò tamen constiterit de absentia malitiosa diuturna, nec sit nimium properatum. Et tantum de hac quæstione.

DE REDINTEGRATIONE.

SIcuti in separatione matrimonij quatuor causæ considerari debent, quando de diuortio agitur, ut adulterium, infidelitas, impotentia, & continuæ insidiæ: ita quoq; eædem causæ in redintegratione considerandæ sunt, quia non est par ratio omniũ. Igitur primùm dicemus, quomodo fiat redintegratio, si diuortium propter adulterium est factum.

Redintegrantur autem matrimonia post diuortium hoc casu tribus modis. Primò, mutua reconciliatione. c. Apost. cum seq. 32. q. 7. Secundò, superueniente adulterio à parte illius, quæ petijt diuortiũ. c. ex liter. de diuort. Tertiò, si diuortiũ per errorem esset factum. Nulla. n. senten- *Redintegrationis causæ.*

tia in causa matrimoniali ita transit in rem iudicatam, ut non possit retractari quandocunq; comperta ueritate. c. lator. de senten. & re iudic.

De Reintegratione post separationem propter infidelitatem seu hæresin uide quæ notantur in c. de illa. & in c. quanto. de diuort. Et de reintegratione post separationem propter impotentiam, uide quæ notantur in c. fraternitatis. de frigid. & malefi.

Sed nunc est quæstio, si matrimonium propter aliquam causam est solutum per diuortium, nec potest reintegrari, quia partes nolunt, uel ob aliam fortè causam, utrum alter ex coniugibus altero uiuente possit cũ alio uel cum alia contrahere.

Vtrum personæ separatæ per diuortium cum alijs possint cõtrahere.

Primõ uideamus de separatione propter adulteriũ. Quod autem attinet ad personam nocentem, quæ scilicet adulterium commisit, non est dubium, quin matrimonium contrahere non possit cum alio, quandiu innocens uiuit, quia Christus dicit Matth. 19. Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur. Et habetur hoc in c. licitè. 32. q. 7. De hoc autem dubitatur, utrum innocens pars, adultera uiuente, possit contrahere. In hac quæstione non conueniunt Theologi nostri temporis, & Canonistæ.

Canonistæ simpliciter interdicunt secundum matrimonium, quãdiu altera pars uiuit, Allegant ad hoc dictum Pauli 1. Corin. 7. quod habet: His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptã, aut uiro suo reconciliari. Sed certum est, quòd uxori non est permissum discedere à marito qualibet de causa, nisi sit causa fornicationis, expresse habetur Matth. 19. Ergo illa sententia Pauli intelligi debet de discessu ex causa fornicationis, quòd scilicet uterq; maneat sine nuptijs post diuortium, uel reconcilientur. Ita intelligit Augustinus illum locum in commentario suo ad Cor. & in Homil. 49. & in lib. de adulterinis coniugijs. Quæ sententia allegatur in c. quemadmodum. 32. q. 7. Idem tenet Hieron. ad Damasum presbyterum, cuius sententia allegatur in c. Omnes. 32. q. 7. Et possunt pro hac opinione allegari optimę rationes.

Prima est, fauor liberorum ex coniugibus separatis natorum, ut scilicet parentes reconcilientur. Difficilimè autem reconciliatio obtineri posset, si secundæ nuptiæ liberæ essent.

Secunda ratio est, fauor delinquentis, ne omnino eijciatur extra Ecclesiam, sed agat pœnitentiam. Si enim innocenti parti liberè liceret, nocente uiuente, secundò contrahere, & nocens continere non posset, non haberet modum nec uiam perueniendi ad pœnitentiam, quia cum alio contrahere non posset, propter dictum Christi: Qui dimissam ducit, mœchatur. Si ergo innocens contraxit cum alio, nulla superest spes de pœnitentia, cùm tamen Ecclesia non claudat gremium redeuntib. ut c. super eo. in 6. de hæreticis, & l. fin. C. de summa trinitat. & fid. Catholi.

Et

Et illa pars non potest redire, quandiu altera uixerit.

Tertia est, Licet per diuortium fiat separatio, quo ad cohabitationẽ & thorum, non tamen soluuntur substantialia matrimonij, quãdiu ambo uiuunt. Quia si substantialia soluerentur, sequeretur, quòd utriq;, tam nocenti quàm innocenti, permissum esset, secundò contrahere. Sed Christus expresse dicit: Qui dimissam ducit, mœchatur. Ergo substantialia matrimonij sublata non sunt, & per consequens secundæ nuptiæ sequi non possunt. Vide de hac quæstione 32.q.7. per totum.

Theologi nostri temporis contrà sentiunt, scilicet, si innocens nocentem post multas admonitiones recipere ad consortium noluerit, sed ad aliud matrimonium se conferre uoluerit, quòd liceat, etiam nocente uiuente. Allegant ad hoc dictum Christi, Matth. 19. sumpto argumento à contrario sensu. Dicit enim Christus: Quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliã duxerit, excepta causa fornicationis, mœchatur. Ergo à contrario sensu, qui propter causam fornicationis uxorem dimittit, & aliã ducit, non mœchatur. Et dictum Pauli, quod Canonistæ allegant, interpretantur de discessu propter contentiones, & rixas coniugum, quòd tũ demum manere debeant sine nuptijs, donec reconcilientur. Secundò allegant, quòd innocens pars sine sua culpa priuaretur iure suo, quod tamen fieri non debet. c. discretionem. §. fi. de eo qui cogno. cõsang. uxo. Tu cogita, nostrum non est decidere &c.

Secundò, si matrimonium est propter infidelitatem solutum. Et tũc, si fidelis incidit in hæresin, & propterea factum diuortium, non licet fideli, hæretica parte uiuente, cum alio contrahere. c. quanto. §. si uerò. de diuort. Aut propter infidelitatem est factum diuortium, ut quia alter est Gentilis uel Iudæus. Et licet fideli contrahere cum alio, etiam infideli uiuente, per dictum Pauli: Si infidelis discedit, discedat, 1. Cor. 7. Et c. quãto. §. Nos igitur. de diuort. Si tamen infidelis fuerit conuersus, priusq; fidelis iterum contrahat, tenetur fidelis recipere conuersum. c. gaudemus. §. Qui autem. de diuortijs.

Tertiò, si matrimonium est separatum propter impotentiam perseuerantem. Et quoq; licitum est potenti contrahere cum alia, impotente uiuente. c. 1. in fi. ferè. de frig. & mal. Vide quæ suprà diximus de frigidis.

Quartò, si separatum est propter continuas insidias, neutri licet contrahere iterum, altero uiuente, per ea quæ notantur in c. quæ sunt. de diuor. Memineris etiam, non tantùm primas nuptias, sed etiam bigamiam, & si fieri posset, octogamiam licitam esse. c. quomodo. c. aperiant. c. Deus masculum. 31. q. 1.

FINIS.

FRANCOFORTI APVD HAEREdes Christiani Egenolphi, Anno
M. D. LIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0098-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0099-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0100-0

Ka 5187a

4°

ULB Halle 3
003 769 321

Sb. f

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0101-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0102-1

MATRIMONIALIVM CAVSARVM TRACTATVS, METHODICO ordine ſcriptus, per D. MELCHIOREM KLING à Steynau, utriuſq; Iuris Doctorem.

Cum præfatione eiuſdem, de origine & autoritate Iuris Canonici, quo ad cognitionem & deciſionem cauſarum Matrimonialium.

EIVSDEM,

ecundi Libri ANTIQVARVM DECRETALIVM Titulos, Commentaria.

IONEM HABENS VITAE PRAE-

SENTIS ET FVTVR AE. 1. Timoth. 4.

RIFICIVM DEO COR HVMILIATVM. Ps. 50.

n Gratia & Priuilegio Imperiali nouo ad octennium.

NCOFORTI APVD HAERE-
des Christiani Egenolphi, Anno
M. D. LIX.

Harrimgo ſuo ſtatt Galen.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-444581-p0103-7